



BJ

993

.E8





ETHICES SEU MORALIS


elementa

SELECTIS EX AUCTORIBUS DEPROMPTA

Ad usum

GYMNASIORUM DIVI HYERONIMI SEMINARIJ.

AREQUIPENSIS IN CIVITATE.



ANNO 1830.

IN TIPOGRAPHIA PUBLICA.

26
5091B1
9 MAY 44

ETHICA SIVE MORALIS

ETHICA seu Moralis definiri solet : scientia práctica ac-⁶⁹ tus humanos ad honestatem dirigens . 1.º Dicitur scientia, quia ex principiis inconcussis certas deducit conclusiones ; ex gr , ex isto principio quod omnia justitiæ officia complectitur : *Alteri ne feceris quod tibi fieri nolis* , colligit non esse furandum , non calumniandum , non occidendum , etc. Ex isto, quod omnia humanitatis officia continet : *Alteri facias quod tibi fieri velis* , concludit nec opem miseris , nec solatium moerentibus esse denegandum . 2.º Practica , quia in mera sui objecti , sive actuum humanorum speculatione non conquiescit , sed tota est in tradendis regulis , quarum ad normam actiones nostræ exigantur . 3.º Dicitur actus humanos ad honestatem dirigens . Actus autem humani nemine intelligitur quidquid fit á nobis humano modo agentibus , id est , cum rationis judicio , voluntatisque consilio et deliberatione . Actus vero qui fiunt citra mentis attentionem et voluntatis arbitrium , appellari solent actus hominis . De iis posterioribus non disserit philosophia moralis ; cum enim rationis judicio et voluntatis concilio non subiciantur , nullâ bonitate aut malitiâ morali affici possunt . Ethicam sive Moralem dividimus in generalem et specialem .

Ethica generalis.

Ethica generalis de actibus humanis generatim disserit , quorum principia et proprietates considerat .

DISSERTATIO 1.^a

De actuum humanorum principiis .

Actuum humanorum principia dicuntur quæcumque ad ipsos formandos concurrunt . Duplicis sunt generis : alia scilicet interna quæ in homine , et alia externa , quæ extra hominem posita sunt .

CAPUT 1.^m

De principiis actuum humanorum internis.

Principia humanorum actuum interna sunt intellectus , voluntas et conscientia . De intellectu et voluntate in Metaphysica jam diximus ; agendum igitur de conscientia superest .

PARAGRAPHUS 1.^s*De conscientia generatim sumpta.*

Conscientia est intimum animi iudicium de actionis cuiusque bonitate aut pravitate pronuntiantis. Iudicis et testis munere fungitur. Quæres, an conscientia sit morum regula ita certa et incorrupta, ut malum sit quidquid contra eam agitur, bonum vero quidquid, ipsâ dictante, geritur.

Ad solvendam hanc questionem, sit

Propositio. Nunquam licet contra conscientiam agere: quod autem, eâ dictante, geritur, aliquando malum est.

Prob. 1.^a pars: Illud nunquam licitum est, quod peccandi voluntatem semper includit: atqui semper adjunctam habet peccandi voluntatem, quod facimus reluctantem conscientiam. Agere enim contra conscientiam nihil aliud est, quam id facere quod prohibitum iudicamus, vel illud omittere quod præceptum credimus: atqui profectò peccandi voluntatem habet quisquis id agit quod vetitum putat, vel omittit quod imperatum existimat: eodem quippe modo affectus est, ac homo qui sciens ac volens ageret contra legem reipsâ aliquid præcipientem vel prohibentem: ergo, etc.

Prob. 2.^a pars: Aliquando conscientia laborat errore vincibili: atqui malum est sequi conscientiam quæ in errore vincibili versatur: namque juxta huiusmodi conscientiam agere dicitur, qui falso putans aliquid esse licitum, illud agit quando errorem istum superare potest et debet: atqui sanè peccat quisquis facit quod licitum falsò existimat, si errorem illum emendare possit aut debeat. ; Nonne v. g., peccavit Apostolus, cum Ecclesiam Dei vexaret, et in ipsius excidium totis viribus et approbante conscientia niteretur? Nonne peccârunt qui Christi discipulos interficiendo, obsequium præstare se Deo intimâ persuasionem iudicabant? Ergò malum est aliquando quod juxta conscientiam agitur.

Solvuntur objecta.

Obj. 1.^o Conscientia errans non est morum regula; ergo quod fit contra conscientiam errantem, non malum est.

Resp. Neg. conseq. Quod enim contra conscientiam errantem fit, non ideo malum dicimus, quia huiusmodi conscientia est morum regula: illud quippe nomen meritò non obtinet, nisi legi divinæ consentiat: sed ideo peccatur, quia

nemo potest , conscientia reluctantante , agere , quin peccandi voluntatem habeat ; quæ ipsa non sinè culpâ est.

Obj. 2.^o Quod agitur contra conscientiam errantem , semper malum est , ergò é contrarió quod juxta eandem conscientiam agitur , semper bonum est.

Resp. Neg. Conseq. Sicut enim in dialecticis duæ propositiones contrariæ possunt esse falsæ , ut istæ : omnis homo est doctus : nullus homo est doctus ; ita in moralibus duo contraria possunt esse simul mala . Cujusmodi sunt tum ea , quæ contra conscientiam errantem aguntur , tum ea quæ juxta eandem fiunt . Qui enim agit reclamante conscientia , id ipsum facit quod illicitum esse intimâ animi persuasione judicat , ac proinde vult et amat peccatum ; qui verò errorem conscientia vincibilem sequitur , ideo peccat , quòd ex ignorantia quam depellere potest et debet , rem faciat á lege prohibitam .

PARAGRAPHUS 2.^s

De conscientia divisionibus.

Conscientia dividitur , 1.^o in *veram* seu *rectam* , quæ dicitur licitum aut illicitum esse quod reipsâ tale est ; et in *falsam* sive *errantem* , quæ vel licitum et bonum judicat quod illicitum et malum est , vel quæ vetitum et malum pronuntiat quod legi est consentaneum . Ubi error conscientia depelli potest , dicitur *vincibilis* ; quando superari non potest debitam adhibendo diligentiam , appellatur *invincibilis* .

2.^o Conscientia dividitur in *latam* et *scrupulosam* . Lata dicitur ea quæ ex levibus tantum causis cupiditati faventibus , licitam esse actionem judicat , vel quæ pro levi peccato habet quod gravissimum existimari debet . Conscientia *scrupulosa* , quæ *late* opponitur , ea est quæ futilibus conjecturis et ratiunculis ducta , anxie et sollicitè timet ne mala sit actio .

3.^o Dividitur conscientia in *certam* , *dubiam* et *probabilem* . *Certa* est , cum prudenter et sine ullo errandi periculo probabili judicat aliquid licitum esse vel illicitum , bonum vel malum . *Dubia* est quando rationibus oppositis ita libratur , ut ignoret utrum actio quædam licita sit an illicita . Tandem conscientia *probabilis* dicitur ea quæ actionem aliquam bonam aut malam esse judicat ex argumentis verisimilibus quidem , sed quæ non omnem excludunt errandi formidinem .

Cum verò de conscientia *dubia* et *probabili* nonnulla sint quorum maximè utilis est cognitio , de utraque duplici in sectione disserendum est.

De conscientia dubia.

Tutissimam regulam cui firmiter adhærere debeat qui conscientiam habet dubiam, statuet sequens.

Propositio. Qui conscientiam habet dubiam, ab actu debet abstinere, si nulla urgeat agendi necessitas; quæ si adfuerit, partem tutiorem eligere debet.

Prob. 1.^a pars: Non licet peccandi periculo sese objicere: *Qui enim amat periculum, in illo peribit* (Ecclesiæ. 3. 27.). Atqui peccandi periculo sese exponit qui in dubio citra ullam necessitatem agit: namque ille peccandi discrimen adit qui agit temerè, nullamque certam habet regulam quâ deprehendat utrum justum sit an iniquum quod operatur: atqui ita se habet qui in dubio sinè ulla necessitate agit; ergo in peccandi periculum incurrit.

Prob. 2.^a pars. Ad licité agendum requiritur ut prudenter judicemus nos minimè esse peccaturos: atqui cùm dubitans eam partem sequitur quam minus tutam existimat, prudenter judicare non potest nihil esse peccati pertimescendum; imò longè magis sibi conscius est se peccaturum, ut res ipsa clamat; ergo etc.

Præterea, non minus caute nos gerere debemus in iis quæ ad salutem æternam pertinent, quam in rebus temporalibus: atqui, ubi agitur de negotiis temporalibus, imprudens et temerarius haberetur, qui in dubio partem minùs tutam eligeret, dum tutiorem amplecti potest; ergo longè magis temerè et stultè agere, ac proinde peccare censendus est quisquis in salutis æternæ negotio partem minùs tutam amplectitur; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1.^o Lex dubia non potest certam parere obligationem; ergo cum dubitatur utrum lex aliquid prohibeat, ab eo non tenemur abstinere.

Resp. Dist. conseq. Ab eo non tenemur abstinere vi legis dubiæ, conc; vi legis naturalis quæ vetat ne quis peccandi periculo sese exponat, nego. Cum enim dubitamus an quædam lex obliget, nihil tamen dubitationis est, quin eam partem amplecti debeamus, quæ magis à peccato removet. Itaque, quando incerti sumus an quædam actio prohibita sit, eam dimittere non tenemur vi legis quæ dubia est, sed vi legis naturalis quæ omnino certa est, et vetat ne in cognitum peccandi periculum nos temerè conjiciamus.

Obj. 2.^o Si pars tutior semper eligenda foret , omnes tenerentur in eremum secedere , vel monasterium ingredi , quia illud vitae genus tutius est , minusque periculosum : atqui falsum consequens , ergo et antecedens .

Resp. Neg. maj. Nam illud vitae genus cuique magis tutum est , ad quod fuit á Deo destinatus factusque idoneus : atqui Deus alios destinavit ad vitam caelibem , alios ad conjugalem , alios ad solitudinem ; quaemadmodum ergó singula corporis humani membra non eodem funguntur munere , sed distinctis ministeriis serviunt , ut observat Apostolus , ita etiam singuli homines eam vivendi formam profiteri debent , ad quam á Deo vocati sunt : alii enim in seculo depravantur , qui potuissent ut ait Augustinus , *in solitudine deificari* ; alii in monasteriis malé vivunt , qui in seculo pié sanctéque vixissent .

SECTIO 2.^a

De conscientia sive opinione probabili.

1.^o Opinio probabilis ea est quæ nititur vel gravi auctoritate, vel rationibus non levis momenti , non tamen certis et indubitatis . Hinc duplex distinguitur probabilitas : alia *extrinseca* , quæ ducitur ex ipsis rationibus alicui sententiae suffragantibus ; alia *intrinseca* , quæ repetitur ex Doctorum auctoritate et testimonio , qui in eandem sententiam videntur conspirasse .

2.^o Opinio dicitur modo *favere legi* , cum affirmat rem aliquam legi prohiberi vel præcipi ; modó *favere libertati et cupiditati* , quando scilicet asserit hanc vel illam actionem nullá lege vetitam esse aut imperatam .

3.^o Opinio in conflictu alterius dicitur *probabilior* vel *minus probabilis* , prout ratione et auctoritate oppositam vincit , aut ab ea vincitur : si veró ambæ paribus rationum momentis sese librent , tunc vocantur *æquæ probabiles* .

4.^o Opinio dicitur , *tutior* , cum á violandæ legis periculo magis removet quam opposita .

5.^o Probabilistæ dicuntur , qui opinionem probabilem ut tutam certamque morum regulam obrudunt . Quibus positis , sit

Propositio. 1.^a Non licet sequi opinionem minus probabilem quæ favet libertati , in concursu alterius probabilioris quæ favet legi.

Prob. Non licet homini in peccandi periculum sese conjicere : atqui huic periculo manifestè sese exponit qui opinionem minus probabilem quæ favet libertati sequitur . in concursu alterius probabilioris quæ stat pro lege ; nam locus est timendi ne legem violent , si fortè existat : atqui in casu de quo agitur , probabilius

est legem existere , siquidem graviora in hanc partem inclinant rationum momenta ; ergo : etc .

2.^o Clamat recta ratio Deum esse præ omnibus aliis diligendum : atqui profecto Deum non ita diligit , qui sententiam minus probabilem, libertati cupiditatieque blandientem amplectitur, dum alia probabilior in gratiam legis occurrit : tunc enim id facit vel omittit , quo Deum graviter offendendum esse judicat, et quidem probabilius .

3.^o Non licet imprudenter et temere , agere : atqui ita se gerit qui sententiam minus probabilem eligit , neglectâ probabiliore quæ favet legi : ut enim prudenter quisque agat moraliter certus sit necesse est bonam honestamque esse suam actionem : atqui eâ certitudine prorsus caret qui opinionem minus probabilem arripit , spretâ probabiliore quæ pugnat pro lege ; namque , eo ipso teste , quod agit potius illicitum est quam licitum ; ergo , etc .

Propositio 2.^a Non licet sequi opinionem probabilem quæ favet libertati in concursu alterius aequè probabilis quæ stat pro lege .

Prob. Qui animum habet duabus oppositisque opinionibus æquè probabilibus distractum , is verè proprièque dubitat ; siquidem non potest hanc potius quàm illam opinionem veram judicare ; sed inter utriusque veritatem et falsitatem suspensus fluctuat . Hinc , si quis hominem in hoc statu constitutum interroget , utra sententia vera sit , ingenuè fatebitur se nescire , se incertum esse , se dubitare ; obstringitur ergò lege qua jubemur in dubiis partem tutiorem consecrari : atqui partem tutiorem non sequeretur , si opinionem quæ libertati et cupiditati favet amplecteretur , neglectâ alterâ aequè probabili quæ stat pro lege . Posteriorem enim hanc sententiam eligendo, nullum in periculum incurreret legem divinam violandi : huic autem discrimini sese objiceret , si alteram opinionem cupiditati patrocinantem sequeretur , ut per se manifestum est ; ergo etc .

Objic. Opinio minus probabilis in concursu probabilioris remanet vere probabilis ; ergo eam sequi licet .

Resp. *Neg.* *ant.* Probabile enim idem est ac dignum quod approbetur : atqui opinio minus probabilis in conflictu probabilioris , minimè digna est quæ assensum et approbationem obtineat , cum praevaleant rationum momenta , quibus munitur opposita sententia . Quinimò , non potest animus opinionem minus probabilem non improbare , siquidem eam falsam potius quàm veram judicat .

De principiis actuum humanorum externis.

Principia actuum humanorum *externa* dicuntur ea quae extra hominem posita sunt. Duo recensentur, nimirum *finale et dirigens*. Prius est finis propter quem fiunt actus humani: posterius verò est lex ipsa qua, tanquam luce, suis in actibus homo dirigitur.

ARTICULUS 1.^s*De fine actuum humanorum.*

Finis definiri solet id cuius gratiâ fit aliquid, sive bonum verum aut apparens, cuius consecutionem inter operandum intendimus. Voluntas enim amare non potest, nisi quod bonum sibi videtur. Duplex autem potissimum distinguitur finis, *proximus* nempe et *ultimus*. Finis proximus ille est quem ita voluntas intendit, ut ipsum referat ad finem alium ulteriorem. Sic homo verè christianus medicinam hauriendo, ita sanitatem quaerit, ut ipsam referat ad Dei laudem et gloriam. Finis ultimus ille est ad quem caetera diriguntur, ipse verò ad nullum alium finem refertur, et hic propriè finis est, quia in eo voluntas conquiescit.

Hic duo sunt pertractanda. 1.^o Enim cum homines ita sint à natura comparati, ut in iis quae agunt beatitudinem, tanquam finem ultimum, quaerant, in quo sita sit hominis beatitudo exponendum est. 2.^o Cùm non alius esse debeat finis ultimus hominis, quàm ipse Deus, agendum erit de officio quo tenemur omnes actiones nostras ad Deum, tanquam finem ultimum, referre.

PARAGRAPHAFUS 1.^s*In quo sita sit vera hominis beatitudo*

Beatitudinis nomine, non Philosophi tantum, verum etiam imperiti, eum statum intelligunt, qui mentem omnino expleat. In assignando illius felicitatis objecto, tanta fuit Philosophorum gentilium discordia, ut ducentas octoginta et octo, opiniones ea de re discrepantes, post Varronem numeret Augustinus (lib. 15. de Civit. Dei, cap. 20.) Adeo verum est quod ait Seneca, *vivere omnes beatè velle, sed ad pervidendum quid sit quod beatam vitam efficiat, caligare.* (init. lib. de Vita beata).

Propositio 1.^a *Ad veram proprièque dictam beatitudinem homo destinatur.*

Prob. Intimè consci sumus in nobis existere quemdam summae beatitudinis appetitum , quo perfectè et immutabiliter beati esse volumus : atqui hominem ad felicitatem natum esse probat ille appetitus : 1.^o enim in nobis necessarius est ; nemo quippe à se obtinere potest ut nolit esse beatus ; 2.^o constans et perpetuus ; namque , et singulis instantibus , et in singulis actibus ex ineluctabili hujus desiderii impulsu agimus , nec quidquam velle possumus , nisi aliquam boni speciem prae se ferat , 3.^o universalis est cùm in omnibus et singulis hominibus sese prodat et manifestet : atqui hujusmodi appetitus non potest nos decipere ; alioquin error in ipsum Deum meritò refundetur , qui sinè ulla causa istud desiderium nobis indidisset : illud enim mentibus nostris imprimendi nulla esse potest causa , si nulla sit beatitudo qua expleatur ; ergo etc.

Propositio 2.^a Homo non potest in se ipso veram felicitatem invenire.

Prob. Ex misera hominum in terris conditione : *Homo enim natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis (Job. 14. 1.) Editus est in vitam , ait Tullius , corpore nudo, fragili ac infirmo ; animo anxio ad molestias , humili ad timores , prono ad libidines (lib. 3. de Repub.)* Atqui luctuosus ille status pugnat cum vera felicitate . Hinc adeo verum est hominem se solo contentum non esse , ut extra seipsum quaerat beatitudinem : quod unicuique ex proprio conscientiae testimonio compertum est.

Propositio 3.^a Hominis beatitudo non sita est in bonis creatis.

Prob. Bona creata triplicis sunt generis , alia scilicet fortunae , alia corporis , alia animi : atqui nihil horum potest hominem beatum efficere .

Prob. 1.^a pars : Bona fortunae sunt honores , dignitates , divitiae : atqui hæc tria non possunt efficere hominem verè beatum . 1.^o Quidem non honores et dignitates : tum quia non sunt stabiles , nec à solis probis possidentur . *Vidi , inquit Psaltes Regius , impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani ; transivi , et ecce non erat (Psalm. 36, v. 35. et 36) ;* tum quia appetitum irritant , nedum expleant : si quis enim ad aliquem dignitatis gradum pervenerit , ad altiorem ardet conscendere ; tum quia hominem reddunt variis incommodis obnoxium , nempe superiorum contemptui , aequalium invidiae , inferiorum jocis et maledictis , omnium denique importunitatibus . Hinc poeta ethnicus .

Jure perhorri

Laté conspicuum tollere verticem.

2.º Nec divitiae veram hominis beatitudinem constituunt : cum labore enim comparantur ; cum timore et sollicitudine conservantur ; cum dolore amittuntur . Praeterea , cupiditatem stimulant , non satiant :

Crescit amor nummi , quantum ipsa pecunia crescit ;

Quò plús sunt potae , plus sitiuntur aquae .

Denique , iis saepe affluunt improbi , de quibus sic habet Psaltes Regius : *Promptuaria eorum plena oves eorum fœtosae , abundantes in egressibus suis : boves eorum crassi .* (Psalm. 143, v. 13 et 14.) Ergo vera hominis felicitas non sita est in bonis fortunae .

Prob. 2.^a pars : Bona corporis potissimum consistunt in sanitate et voluptatibus : atqui neutrum dici potest summum hominis bonum : utrumque enim fluxum est , caducum , instabile , vel quadriduanae febris igniculo evanescit ; voluptates corporeas consequuntur anxietas , dolor , tristitia , conscientiae stimuli ; vires corporis atterunt , multiplex morborum genus invehunt . *Defectio virium* , inquit Tullius , *adolescens vitii efficitur sæpius , quàm senectutis* (lib. de senectute). Hinc sic monet poeta ethnicus .

Sperne voluptates , nocet empta dolore voluptas .

Prob. 3.^a pars : Animi bona sunt scientia et virtus : atqui vitam ex omni parte beatam non efficiunt ; quantulae enim sunt ! quàm obscurae , quàm variis erroribus admistae , quam magnis laboribus consequimur scientiae ! quàm parùm valent eam explere sciendi et cognoscendi cupiditatem , quae à Deo nobis insita fuit ! Praeterea , scientia et virtus hominem à morbis , doloribus , paupertate , aliisque miseriis non eximunt , quae cum vera felicitate sociari nequeunt . Hinc Apostolos , licet omni virtutum genere conspicuos , ita vexabant hujus vitae incommoda , ut eos *tæderet vivere* (2. cor. 1. 8.) Virtus ergó via quidem est quâ pervenitur ad summam felicitatem ; sed ipsa non est summum hominis bonum .

Ex iis omnibus colligere est quàm frustrá in bonis creatis quaereretur vera hominis felicitas . Hinc Salomon , licet in eum confluisent omnia tum fortunae , tum corporis , tum animi bona , statim ab operis sui limine in istas voces erumpit : *vanitas vanitatum , et omnia vanitas* . (Ecclesiastes , c. 1. v. 2.)

Propositio 4.^a Deus solus est summa hominis beatitudo , sive summum bonum .

Prob. Ille solus est summum hominis bonum qui solus potest omnes illius facultates explere : atqui solus Deus potest , etc . Facultates enim hominis revocantur ad intellectum quâ

veri cognitionem , et ad voluntatem quae boni possessionem prosequitur : atqui Deus solus valet utramque hanc hominis facultatem explere : nam solus est summa veritas , summaque bonitas : atqui Deus , quatenus summa veritas , potest totam intellectûs verum inquirentis amplitudinem exhaustire : et quatenus summa bonitas , potest immensa voluntatis bonum prosequentis desideria sistere ; ergo , etc. Hinc S. Augustinus Deum aloquens : *Fecisti nos ad te . inquit , et inquietum est cor nostrum , donec requiescat in te* (lib. 1. Confess. cap. 1.) *Non facit beatum hominem , nisi Deus qui fecit hominem* (Epist. 155, n. 2.)

Obj. Appetitui finito sufficit bonum finitum : atqui appetitus hominis est finitus ; ergo ad eum explendum satis est bonum finitum.

Resp. Dist. maj. Si appetitus ille non tendat ad bonum infinitum , conc. secus , neg.

Porro , appetitus hominis quamvis finitus , utpote facultatis creatae affectio . bonum tamen infinitum prosequitur. Ineluctabili enim propensione fertur ad beatitudinem absolutam, aeternam , et immutabilem , quae nonnisi in summo , et infinito bono sita esse potest , sive in Deo , qui , ut ait Propheta Regius , *replet in bonis desiderium tuum* (Psalm. 102. v. 5.) Quod adeo verum est , ut Alexander , licet in subditum mundum latè dominaretur , aliquid ultra expeteret. Hinc Juvenalis :

Unus Pellaeo juveni non sufficit orbis:
AEstuat infelix angusto in limite mundi.

PARAGRAPHUS 2.^s

De officio , quo tenemur omnes actiones nostras ad Deum tamquam finem ultimum , referre.

Nullus sine fine quodam ultimo esse potest actus humanus : in omni quippe actu deliberato aliquid intendimus , aliquid bonum verum , aut apparens prosequimur , in quo voluntas nostra conquiescit , et ultra quod non excurrit. In eo sita est ratio finis ultimi.

Propositio. Homo tenetur omnes , et singulas actiones deliberatas ad Deum , tanquam finem ultimum , referre.

Prob. Ad ilud tenetur homo , quod jubet lex naturalis: atqui lex naturalis praecipit , ut omnes actiones deliberatas ad Deum , tanquam finem ultimum referamus.

Ea quippe est naturae lex , ut res quaelibet ad eum finem tendat , ad quem vi suae creationis , et ab auctore suo

destinata est : atqui finis ultimus ad quem creatus et destinatus fuit homo , est ipse Deus : siquidem in eo solo sitam esse nostram beatitudinem demonstravimus ; aliunde homo non tendit ad Deum , nisi ad illum suas actiones referendo ; ergo , &c.

Praeterea , dictat lex naturalis , ad Deum referenda esse quae ab eo accepimus ; atqui á Deo creante , et conservante habemus quidquid vitae , quidquid facultatis , quidquid boni et perfectionis nobis inest ; praecipit ergo lex naturalis ut omnia nostra referamus ad Deum tanquam finem ultimum. Quod ratiocinium non semel adhibent S. S. Patres : *Haec regula dilectionis* , inquit S. Augustinus , *divinitus constituta est , ut omnes cogitationes tuas , et omnem vitam tuam . . . in illum conferas , á quo habes ea ipsa quae confers* (lib. 1. de Doct. Christ. cap. 22.

Obj. Ex Philosophorum et Theologorum consensu praeceptum affirmativum non semper obligat : praeceptum jubens agere propter Deum est affirmativum ; ergo semper non obligat.

Resp. Dist. maj. Praeceptum affirmativum , quod omnes actiones nostras non complectitur , semper non obligat , conc. maj. : praeceptum affirmativum , quod omnes actiones complectitur , non semper obligat , neg. maj. : dist. min. ad sensum majoris.

Revera preceptum affirmativum , quod omnes actiones nostras non involvit , semper non obligat ; hujusmodi sunt praecepta de honorandis parentibus , de sublevando paupere : neque enim semper et quolibet tempore obsequii nostri actus in parentes sunt exercendi , nec eleemosyna pauperibus eroganda ; sed tantum ubi sese dederit occasio. Praeceptum vero quod omnes actiones nostras complectitur , quamvis affirmativum , semper nos obstrictos tenet , ut ipsamet verba satis indicant.

Porró , praeceptum quo jubemur agere propter Deum , tanquam finem ultimum , ad omnes actiones nostras pertinet , et ne minimas quidem excludit , ut liquet ex rationibus supra illatis. Et veró , nisi ita res esset , aliquando liceret agere propter creaturam , tanquam finem ultimum , ac proinde eam propter se diligere : atqui id nunquam licitum est , siquidem *tunc cupiditas est* , inquit Augustinus , *cum propter se amatur creatura*. (lib. 9. de Trinit. cap. 8) ; ergo , etc.

ARTICULUS 2.^s DE LEGE.

Lex suum nomen habet á *ligando* , quia proprius illius effectus est subditos quasi ligare et obstringere ad faciendum vel omittendum aliquid. Lex generatim et breviter definiri

potest , *regula agendorum , vel omittendorum* . Dividitur in *æternam , naturalem et positivam* , de quibus duplici in paragrapho disseremus.

PARAGRAPHUS 1.^s

De lege æterna et naturali.

Legem æternam caeterarum fontem esse , primamque actuum humanorum regulam constat unanimi omnium consensu: nihil quippe aliud est quam æternus ordo , et summa ratio, in Deo ab æterno existens , qua immutabiliter continentur quaecumque facienda sunt aut vitanda. *Lex æterna* , inquit Augustinus , *est ratio divina , vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens ; perturbari vetans* (lib. 22 contra Faustum , cap. 27. tom. 6).

Lex naturalis à S. Thoma definitur , *participatio legis æternæ in rationali creatura , dictans et præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum et illud fugiendum quod est intrinsecé malum* (1. 2. q. 91. art. 2.). Dicitur autem 1.^o *Participatio legis æternæ*, quia lex naturalis ab æterna non diversa est. Utraque idem jubet et vetat ; utraque præcipit ut omnia sint ordinatissima ; et prohibet quidquid ab ordine immutabili deflectit. 2.^o In rationali creatura , cui scilicet ab Auctore naturæ indita est ; sicque differt lex naturalis à legibus positivis, quarum nullum in mentibus nostris reperitur vestigium : à libera enim legislatoris voluntate omnino pendent. 3.^o *Præscribens illud esse agendum quod est intrinsece bonum* , etc. Quæ enim jubet aut vetat lex naturalis , non ideo sunt bona quia præcipiuntur , aut mala quia prohibentur ; sed idcirco præcipiuntur , quia ex se bona ; aut prohibentur quia ex se mala sunt, et naturam rationalem dedecent.

SECTIO 1.^a

Utrum existat lex naturalis.

Cum lex naturalis id præcipiat quod ex se bonum , idque vetet quod ex se malum est , eam sustulere non nulli veteres , qui nihil ex natura sua bonum aut malum , nihil honestum aut turpe justum vel injustum esse docuerunt. Boni scilicet et mali moralis discrimen omnino repetendum esse contendebant ex hominum opinione , consuetudine et conventis arbitrariis , quibus sese invicem obstrinxerunt , ut sive privatorum , sive societatis utilitati consuleretur. Hinc , juxta ipsos, *sola utilitas est justi mater et æqui* ; sublatisque hujusmodi

pactis et legibus arbitrariis , nihil honestum esset aut turpe: nihil laudandum aut vituperandum.

Propositio 1.^a Bonum et malum morale ex natura sua differunt.

Prb. 1.^o Ex necessaria quarumdam propositionum practicarum veritate : plurima sunt principia morum practica , quae sine ullis hominum conventis , et necessario vera sunt ; qualia sunt ista : *Deus est diligendus , suum cuique tribuendum : alteri non faciendum quod nobis fieri nolimus.* Illarum enim propositio- num veritas non minus necessaria est , nec magis ab homi- num institutis pendet , quam veritas istarum speculativarum: *Totum est majus sua parte ; impossibile est idem esse simul et non esse* : fulget hinc et inde par evidentia ; consensum nos- trum non minus rapiunt priores quam posteriores ; ergo quae- dam sunt principia morum practica , quorum veritas ita neces- saria est , ut neque ab hominum pactis , neque à principum, magistratumve legibus pendeat ; ergo bonum et malum morale ex natura sua differunt.

Prob. 2.^o Ex sententiae oppositae consecrariis : Si nullae sint actiones ex natura sua bonae vel malae , omnes erunt ex se prorsus indifferentes , ac proinde potuit Deus furta , latrocinia , homicidia , imo sui ipsius contemptum et odium praecipere: atqui horrendum illud consecrarium refugit et detestatur om- nium animis insita ratio ; ergo , etc.

Propositio 2.^a Existit lex naturalis mentibus hominum à Deo per lumen rationis impressa.

Prob. 1.^o Homo cum sit rationalis , ita fit particeps divinae providentiae , ut sibi etiam , et aliis possit providere. Est ergo particeps legis aeternae , quae , nihil est aliud , quam ratio gubernationis , et providentiae in Deo. Ex dictis autem lex naturalis est participatio legis aeternae in rationali creatura , per lumen rationis menti impressum , quo discernimus , quid sit bonum , quidve malum. Existit ergo lex naturalis etc.

Prob. 2.^o Creatura rationalis multa cognoscit lumine na- turali rectae rationi consona , quia honesta ; multa dissona , quia turpia. Haec autem vel cognoscit immediate absque ratio- cinio ; atqui ejusmodi sunt prima principia universalialia practica , quae simplici intuitu , et ex sola perceptione terminorum cog- noscuntur esse vera , ut virtutem esse prosequendam , vitium fugiendum , non esse alteri faciendum quod nobis fieri nolu- mus , etc. vel cognoscit ut deducta ex primis principiis practi- cis , ut bonum esse eleemosynam indigentibus elargiri ; non furari ; neminem laedere , etc. atqui haec , licet inferantur ut conclusiones ex primis principiis practicis , habent tamen ratio- nem principiorum universalium proximorum respectu operatio- num. Jam vero principia universalialia practica sunt ipsa lex

naturalis , lumen autem rationis , quo innotescunt , est á Deo , cum sit impressio divini luminis in nobis , quo sumus participes legis aeternae , ut dictum est . Existit ergo lex naturalis , etc.

Prob. 3.^o Non censi debet minus homini providisse Deum , quam brutis animantibus : atqui tamen res ita se haberet , nisi légem naturalem nobis inseruisset Deus , cujus ope bonum á malo secernere valeamus . Nam homo sine ea nec sese dirigere , nec ab aliis dirigi potest ad finem suum qui est summi boni , sive Dei possessio , quam obtinere nequit , nisi bonum prosequendo , et malum fugiendo ; Deus autem brutis animalibus instinctum quemdam indidit , cujus suos in fines impelluntur ; ergo , etc.

Solvuntur objecta.

Objic. 1.^o Si omnibus in hominibus existeret lex naturalis , eadem essent apud omnes morum principia , sicut eadem est natura : atqui varia sunt apud varios populos morum principia ; ergo , etc.

Resp. 1.^o Neg. maj. Etiam si enim nonnulli homines primaria quaedam morum principia non admitterent , inde minime sequeretur non existere legem naturalem , sed id unum colligi posset , nempe hujusmodi homines praejudiciis excaecatos , cupiditatibus distractos , paradoxorum prurigne abreptos , vocem naturae non audisse , nec ad eam satis attendisse : sic , quamvis philosophi quidam de omnibus dubitaverint , nihilominus in philisophicis existunt veritates necessariae , et in rerum natura fundatae . Preterea , non ex unius vel alterius populi institutis judicandum est de jure naturali , quod , licet ab ipsis violetur , attamen existit .

Resp. 2.^o neg. min. Primaria enim morum principia lucè tam splendidà animos percellunt , ut in iis admittendis non potuerint non consentire omnes homines ratione utentes , sed in his ad quosdam casus accommodandis aliquando errarunt ; et ex eo quod , quidam homines nonnullis in circumstantiis primarias scientiarum veritates speculativas malè applicent , non idcirco eas rejiciunt ; idem ergo dicendum est de practicis morum principiis .

Objic. 2.^o Si in omnium animis existeret lex naturalis , inutiles forent leges positivæ , omnes enim quae sui essent officii , natura duce , cognoscerent : atqui inutiles esse leges positivas nemo dixerit ; ergo , etc .

Resp. Neg. maj. 1.^o Quia leges positivae , dum bonis præmia et malis pœnas constituent , plurimos deterrent ab infringenda lege naturali , extra quam cupiditatum impetu abripe-

rentur. 2.^o Quia, licet omnium animis indita sit lex naturalis; plerique variis causis distracti, in se ipsos non descendebant, ut eam consulerent; oportuit igitur ut legis naturalis officia veluti sub oculos poneret lex positiva. *Ne sibi homines aliquid defuisse quererentur*, inquit Augustinus, *scriptum est in tabulis quod in cordibus non legebant; non scriptum non habebant, sed legere nolebant* (In Psal. 57.).

Obj. 3.^o Ut de justo et injusto judicare possit, homo in statu naturae ante quamlibet conventionem et societatem considerandus est: atqui in eo statu nihil est justum et iniquum, nihil bonum et malum ex natura sua; ergo, etc.

Resp. 1.^o Neg. majorem et hypothesim: status enim ille naturae quem supponit Th. Hobbes omnino fictitius est, si homo ab Auctore naturae ad societatem ineundam destinatus fuerit: atqui res ita se habet: nam homini vix creato Deus mulierem sociavit, ex quibus originem duceret genus humanum: atqui primigenia haec naturae constitutio manifeste probat hominem esse ad societatem conditum.

Resp. 2.^o Neg. min. Nonnullae enim actiones ut bonae, et aliae ut malae apud omnes gentes semper habitae sunt: v. g., pietas in parentes, amor patriae, fides in fœderibus, beneficiorum grata memoria, sunt actiones quae semper, ubique, et omnibus visae sunt bonae et laudabiles; contra vero parricidia, proditiones, perfidia, ingrati animi vitium, ubique reputata sunt tanquam mala et execranda: atqui nullum est pactum quod apud omnes populos vigeat et semper viguerit; ergo ante quamlibet conventionem sunt actiones bonae et malae; justae et injustae. Praeterea nullo modo probari potest inter homines initum fuisse pactum, quo nonnullae actiones tanquam bonae et aliae tanquam malae haberentur. Hujus conventionis nec auctores, nec epocha possunt assignari.

Obj. 4.^o A natura acceptam habemus libertatem et potentiam agendi quidquid libuerit: atqui potestas à natura concessa est jus proprie dictum; ergo nobis jus inest quidquid libuerit faciendi; ac proinde nihil ex se bonum vel malum est justum vel injustum.

Resp. Neg. min. Jus enim inter et potentiam immane est discrimen: namque 1.^o quisque potest Deum contemnere, odisse amicum beneficii auctorem, ipsumque patrem occidere; numquid idcirco haec omnia efficiendi jus habet? Nihil certè absurdum magis et horrendum fingi potest. 2.^o Vera inest nobis facultas pacta infringendi: atqui tamen ea licité violari posse negat ipse Th. Hobbes. 3.^o Ad naturam hominis pertinet recta ratio, quae actiones quasdam approbat, et alias improbat:

atqui inepté prorsus diceretur á natura jus concedi ea faciendi quae ipsa condemnat.

SECTIO 2.^a

Utrum lex naturalis mutationem , et dispensationem admittat.

Lex proprié mutari dicitur , quando vel partim , vel omninó tollitur. Per dispensationem veró intelligitur relaxatio legis in alicujus gratiam á Superiore concessa ; quaestio est igitur an , sicut legislator á lege positivâ quam tulit , aliquem eximere potest , ita saltem Deus possit hominem á legis naturalis vinculo solvere , ita ut ille non peccet , sive ea faciendi quae prohibet lex naturalis , sive ea praetermittendo , quae fieri jubet.

Propositio. Lex naturalis nullam mutationem , nullamque dispensationem admittit.

Prob. 1.^a pars : Ea lex nullam prorsus mutationem patitur , quae id unum jubet , aut vetat , quod ex natura sua bonum est vel malum , honestum vel turpe : atqui ita se habet lex naturalis ; quod enim cum lege et ratione aeterna immutabilique consonat , necessarió bonum est ; quod veró eidem repugnat , necessarió malum est : atqui lex naturalis nihil praecipit aut vetat quod legi et rationi aeternae ac immutabili non consentiat aut dissentiat , cum sit ipsius participatio , expressio , manatio : ergo , etc.

Prob. 2.^a pars : Dispensare , sive eximere aliquem á lege naturali , nihil aliud est quam illi permittere ut faciat aliquid á lege naturali prohibitum : atqui id permittere nequaquam potest Deus : quidquid enim vetat lex naturalis , ex natura sua malum est , ac legi , sive rationi aeternae et immutabili dissentaneum : atqui Deus nemini licentiam dare potest id faciendi quod ex natura sua malum est , quod legi aeternae et immutabili adversatur : alioqui Deus secum ipse pugnaret ; ergo &c.

Obj. Dispensare idem est , ac solvere aliquem á lege : atqui Deus Abrahamum á lege naturali solvit , dum ipsi praecipit , ut filium suum innocentem immolaret ; homicidium quippe vetat lex naturalis ; ergo &c.

Rep. Dist. min. Lex naturalis vetat homicidium privata auctoritate susceptum , conc. ; homicidium divina auctoritate commissum , neg.

Porro legi naturali non opponitur homicidium , nisi quando fit contra justitiam et rectam rationem , id est , auctoritate privata. Ideirco contra legem naturalem non peccant , qui hominem publicâ auctoritate occidunt , ut carnifex cum reum

aliquem , vel miles cum in bello justo alium militem interficit ; quia scilicet hujusmodi homicidium nec injusté , nec contra rationem committitur. Cum autem Deus supremus sit vitae et necis Dominus , nihil contra rectam rationem , nec proinde contra legem naturalem imperavit , ubi Abrahamo praecepit , ut filium suum Isaccum ipsi in holocaustum offerret ; nedum igitur legem naturalem violaverit Abramus , ipsi contra obtemperavit : praecepit enim jus naturale ut jubenti Deo semper pareamus , qui nihil nisi justum imperare potest.

SECTIO 3.^a

Utrum invincibiliter ignorari possit lex naturalis.

Praecepta legis naturae in tres clases distribuuntur , atque in prima reponitur principia universalia legis naturae ; in altera, conclusiones iis principiis propinquas , quae dicuntur secunda praecepta , ut *non occides* , *non furtum facies* ; in tertia , conclusiones magis remotas ab illis principiis , quae indigent subtiliori sapientum consideratione.

In eo consentiunt Philosophi , Theologique omnes , quod ignorantiae insuperabili subjacere nequeant tum primaria legis naturalis principia , tum conclusiones , quae ex iis proxime derivantur. Ex gr. , ex isto naturae principio : *alteri ne feceris* , *quod tibi fieri nolis* , pronum est colligere non esse occidendum , non furandum &c. ; sed in eo discrepant , quod alii velint invincibiliter ignorari posse legem naturalem , ubi agitur de nonnullis conclusionibus quae á primariis praeceptis sunt remotiores ; alii vero doceant in his quae ad legem naturalem pertinent , nullam admittendam esse ignorantiam prorsus invincibilem , ita ut semper plus minusve peccet quisquis legem illam violaverit. Nobis vero sit.

Propositio. Prima universalis legis naturae principia á nemine ratione praedito possunt sive vincibiliter sive invincibiliter, ignorari: conclusiones vero iis principiis propinquae á nonnullis vincibiliter , á nemine invincibiliter ignorari queunt: conclusiones autem aliquae á primis principiis valde remotae possunt aliquando invincibiliter ignorari.

Prob. 1.^a pars. Ita se habent in ratione practica principia universalis legis naturae , sicut in ratione speculativa principia theoretica. Sed nemo ratione praeditus ignorare potest sive vincibiliter , sive invincibiliter prima principia theoretica; ergo nemo quoque ignorare potest prima principia legis naturae; utraque enim ita sunt evidentiâ ut statim cognoscatur eorum veritas , perceptis terminis , et consensum mentis extorqueat.

Prob. 2.^a pars. Conclusiones quae propinquae sunt primis principiis, necessariam connexionem cum ipsis habent, iisdemque principiis conceptis, statim sua sponte conclusiones ille dimanant. Ejusmodi sunt praecepta Decalogi de colendo Deo, de honorandis parentibus, de non occidendo, de non furando, &c. Fieri ergo non potest, ut haec secunda praecepta invincibiliter ignorentur. Quia tamen non ita ut principia illa prima, sunt menti insculpta, sed ex ipsis inferuntur, licet per necessariam, facilemque illationem; fieri potest, ut homines quidam ob ingruentes passiones, ob pravas consuetudines, ob malas persuasiones corruptosque habitus aliqua ex hisce secundis praeceptis ignorent, ut Ethnici olim licitum putabant polytheismum, alique corruptorum morum populi licere sibi credebant nonnullas actiones contra praecepta Decalogi, ut supra dictum est. Ignorantia autem haec oriebatur ex vicio voluntatis nolentis attendere ad prima juris naturae praecepta. Quare vincibilis erat.

Prob. 3.^a pars. Si nulla in conclusionibus à principiis valde remotis dari posset invincibilis ignorantia, non liceret in moralibus sequi sententiam vel inter probabiles probabilissimam, quae est propositio ab Ecclesia proscripta: et merito quidem; quis enim in moralibus, cum agitur de particularibus actionibus, quarum circumstantiae possunt variari in infinitum, absolutam, et omnimodam certitudinem quaerat? *In rebus contingentibus* inquit S. Thomas, *sicut sunt naturalia, et res humanae, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus.* Nunc quaerimus, utrum ignorantia illa sit vincibilis, vel invincibilis, sive utrum culpabilis sit, vel culpa vacet. Si est invincibilis; ergo in conclusionibus à primis principiis valde remotis potest dari invincibilis ignorantia. Si est vincibilis; non ergo licebit sequi sententiam vel probabilissimam. Licet autem non modo sequi sententiam probabilissimam, sed etiam probabiliorem. Datur igitur ignorantia invincibilis juris naturae in aliquibus conclusionibus à primis principiis valde remotis.

Obj. Datur ignorantia invincibilis juris positivivi; ergo pariter datur ignorantia invincibilis juris naturalis.

Resp. Neg. cons. et parit. Dissimilis prorsus est juris positivivi et juris naturalis ratio: jus naturae prorsus immutabile est, quidquid praecipit ex natura sua bonum est, vero malum quidquid prohibet. Praeterea lex naturalis omnium mentibus insita est; eam igitur, utpote sibi à Deo inditam, sua tantum culpa ignorare potest homo, ob pravos scilicet quosdam affectus, quibus obscuratur. Contra vero legis positivivae à libera legislatoris voluntate pendent, penes quem est eas con-

dere , restringere , mutare , abrogare . Quod vetat , ex se malum et illicitum non est , sed ideo tantum , quod libero decreto prohibeatur . Praeterea earum cognitio cum primoribus morum principiis in mente nostra á natura consignatis nullam habet cognitionem , nec quantalibet animi puritate comparatur . Unde fieri potest , ut sine ulla hominis culpa , ignorentur leges positivae , et citra peccatum violari possint ; eam igitur notitiam á Deo postulare minus tenentur homines . Dum enim aliquis propter ignorantiam contra jus solum positivum agit , ipsius voluntas non fertur in rem ex se malam et turpem ; secus vero cum aliquis legem naturalem ex ignorantia infringit .

PARAGRAPHUS 2.º

De lege positiva.

SECTIO 1.ª

De legis positivæ notione , divisione et objecto.

Quaeres 1.º Quaenam sit legis positivæ notio.

Resp. Lex positiva ea dicitur quae mentibus nostris non insita est , sed ab aliquo legislatore extrinsecus posita et constituta . Definiri vel describi potest : *præceptum commune , justum , ad bonum publicum spectans ab eo qui communitatis curam habet promulgatum , pœnis vel etiam præmiis sancitum.*

Dicitur 1.º *præceptum* , qua voce designatur genus , quia praeceptum latius patet quam lex , cum lex quaelibet praeceptum sit , sed non vice versâ . Praeterea lex quatenus importat praeceptum , differit á consilio quod per se non obligat .

Dicitur 2.º *praeceptum commune* , quia praeceptum alicui privato datum propriae non est lex ; sic mandatum quod á Deo accepit Abrahamus de occidendo filio , praeceptum fuit , non lex , quia personae privatae tantum , non vero communitati impositum .

Dicitur 3.º *justum* : *lex mihi esse non videtur ; quæ justa non fuerit* , inquit Augustinus (Lib. 1. de lib. arb.) : illius autem justitia triptici ex capite repetenda est . 1.º Ex parte objecti , quod honestum , licitum et legi divinae consentaneum esse debet : 2.º ex parte legislatoris , qui non debet potestatis suae limites praetergredi ; 3.º ex parte subditorum , quibus ita distribuenda sunt reipublicae onera , ut cujusque facultatum ratio habeatur .

Dicitur 4.º *ad bonum publicum spectans* : legistatores enim suam potestatem non acceperunt , ut privatis servirent commodis ; sed ut subditorum , quos pro filiis habere debent , utilitati consulere .

Dicitur 5.^o *ab eo qui curam habet communitatis* : cum enim lex totam pro qua fertur societatem obliget , certé á legitimo superiore ferri debet ; ab eo scilicet qui républicae curam gerit , ipsique praest. Unde paterfamilias praecepta quidem dare potest , non vero leges constituere , quia lex communitatem respicit , non solam familiam

Dicitur 6.^o *promulgatum* : ut enim lex obliget , debet innotescere : atqui id fieri non potest , nisi promulgatione , quá sola , lex eo denuntiatur modo , qui parendi officium inducat. Preterea , lex statuitur regulae instar , ad cujus normam suas actiones exigere tenentur subditi : atqui regula iis declaratur necesse est , qui ad eam habent suos actus componere : quandiu enim in menti legislatoris latet recondita , nullius actionis regula esse potest.

Dicitur tandem *pænis sancitum*, quod appellatur *legum sanctio* ; alioqui legum observationi non satis consuleret legislator.

Quaeres 2.^o Quaeenam praeceptivae sint legis positivæ divisiones.

Resp. Lex positiva dividitur potissimum in divinam et humanam. Lex divina ea est , quae Deum habet auctorem. Duplex distinguitur ; alia scilicet vetus , quae in veteri , alia nova , quae in novo testamento continetur. Priorem Deus populo Iudayco in Monte Sinai per Moysen prophetam , posteriorem vero dedit per Jesum Christum filium suum. *Multifariam , multisque modis* inquit Apostolus , *olim loquens Deus in prophetis novissime diebus istis locutus est nobis in filio* (Heb. 1. 1.).

Posterior dicitur lex 1.^o nova , tum á suo effectu , quia hominem per gratiam interiorem renovat , Deique amicum et filium efficit : tum á tempore , post enim legem veterem , sive Moysaicam quam abrogavit , instituta est. 2.^o Evangelica , quia bonum et felicissimum continet nuntium , quo nempe remissio peccatorum , adoptio filiorum Dei , beatitudo coelestis promittuntur hominibus. Plurima sunt legis veteris et novae discrimina quorum expositio pertinet ad Theologos.

Lex humana dividitur in Ecclesiasticam et civilem. Prior ab iis sancita est quos Christus regendae Ecclesiae praeposuit ; posterior autem ab Imperatoribus , Regibus , aut Principibus constituta est.

Quaeres 2.^o Quodnam objectum , sive quaeenam materia sit legis humanae.

Resp. Certum est legem quaecumque non esse debere , nisi de re laudabili et honesta , vel saltem ex se indifferente , quae ad bonum commune referri possit. Lex autem quae praeciperet aliquid ex natura sua malum et turpe , eo ipso non esset lex. Enimvero lex naturalis et divina cuicumque hominum

legi anteferenda est ; ac proinde nunquam licet ad utilitatem publicam aliquid decernere , quod ex natura sua malum sit. Hinc statim ruit execranda quorundam politicorum opinio , qui humanae legis materiam fieri posse existimant , quidquid ad reipublicae utilitatem conferre potest , quamvis injustum sit. Ad hujusmodi politicos spectant haec Apostolorum verba : *Si justum est in conspectu Dei , vos potius audire quam Deum, judicate.* (Act. 4. 19.)

SECTIO 2.^a

De nonnullis quæstionibus ad legis positivæ obligationem pertinentibus.

Quæres 1.^o Utrum lex humana obliget cum mortis aut gravis alicujus incommodi periculo.

Resp. 1.^o Eam ita non semper obligare ; majorem enim obligandi vim non habet lex humana , quam divina : atqui divina lex positiva non semper obligat cum gravi periculo. Nam lege divina prohibitum erat ne quis vel panes *propositionis* comederet , vel die sabbati aliquid operis servilis ageret : atqui tamen illae Dei ipsius leges non obligarunt cum gravi vitae periculo ; potuit quippe David urgente necessitate panes sanctos comedere ; potuerunt et Machabaei pugnare die sabbati ; ergo &c.

Resp. 2.^o Legem humanam aliquando , etiam imminente vitae periculo , obligare , quando scilicet bonum ex ejus observatione secuturum , vitae praevallet ; vel cum malum ex ejus violatione oriturum , vitae dispendio majus est. Haec regula nititur lege aeterna , sive ordine immutabili , qui jubet meliora deterioribus anteponi. Sic tenetur miles excubias agere , et assignatam sibi stationem servare , etiam cum certo vitae periculo , quia civitatis vel exercitûs conservatio longè potior est unius militis vita.

Quæres 2.^o Quid agendum sit cum occurrunt duo praecepta quae simul observari nequeunt.

Resp. Illud anteferendum esse quod gravius est ac praestantius. Hinc praecepto juris naturalis aut divini cedere debet praeceptum humanum , quia naturae lex circa res omnino necessarias versatur , et Deus homine longe superior est : hinc etiam praeceptum charitatis , quae omnium virtutum est praestantissima , aliarum exercitio praevalere debet ; omittenda igitur jejunia , preces , auditio missae , et caetera hujusmodi , ut charitatis officium proximo , qui eo graviter indiget , praestes , si utrumque simul praeceptum implere nequeas.

De actuum humanorum proprietatibus.

Actuum humanorum proprietates sunt bonitas vel malitia moralis. Bonitas autem actuum humanorum moralis generatim est eorum cum recta ratione consensio. *Rectum factum nullo modo esse potest*, inquit Augustinus, *quod non à recta ratione proficiscitur.* (Lib. de Utilitate credendi, cap. 12.) Recta autem ratio vel est *increata* quae in mente divina existit, et lex aeterna dici solet; vel *creata*, quae lumen est creaturae rationali à Deo insitum, sive ipsa legis aeternae cognitio, quid bonum malumve, quid faciendum aut fugiendum sit, indicans. Malitia moralis generatim est actus humani à recta ratione, sive lege aeterna, dissensio.

CAPUT 1.^m*Utrum bonitas vel malitia moralis sint aliquid in actibus humanis positivum.**Propositio 1.^a Bonitas moralis est aliquid positivum.*

Prob. Bonitas actus humani est illius cum recta ratione, sive lege aeterna consensio: atqui haec consensio est aliquid positivum, non merum nihilum; siquidem ex omnium consensu, vera est perfectio; ergo, &c.

Propositio 2.^a Malitia moralis est privatio rectitudinis debitæ.

Prob. In eo consistit malitia moralis, quo posito, actus humanus statim intelligatur malus: atqui posita sola privatione rectitudinis debitæ ex parte sive objecti, sive finis, sive circumstantiarum, actus humanus illicó concipitur malus, juxta vulgare illud effatum: *malum ex quocumque defectu.* Et vero, tam privatio perfectionis actui humano debitæ hunc efficit moraliter malum, quam privatio perfectionis in opere physico requisitæ, illud efficit in suo genere malum: atqui privatio perfectionis in opere physico, &c., ex. g., horologiun, si careret aptâ rotarum conformatione, eo ipso malum diceretur, et vitiosum; ergo, &c.

Praeterea, si malitia moralis esset aliquid positivum, Deus censendus foret illius auctor, siquidem *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* (Joan. 1. 3.) Atqui nefas est Deo, tanquam auctori, tribuere malitiam moralem actuum humanorum, cum à summa ejus sanctitate sint alienissima; ergo &c.

Objicies. Illud est positivum quod habet causam positivam: atqui malitia moralis habet causam positivam; ergo &c.

Resp. Dist. maj. Illud est positivum quod habet causam positivam et efficientem , conc. ; quod habet causam positivam, sed deficientem , neg.

Porró quod proficiscitur ex causa deficiente , dici non potest aliquid positivum. Sic tenebrae quae á sole deficiente exoriuntur , nihil sunt positivi : atqui malitia moralis habet quidam causam positivam , sed deficientem , nempe voluntatem humanam , quatenus actiones suas ad rectam rationem non dirigit , nec informat. *Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis* , inquit Augustinus ; *non enim est efficiens , sed deficiens ; quia illa non est affectio sed defectio* (lib. 22. de civit. Dei).

CAPUT 2.^m

Utrum admittendi sint actus indifferentes.

Actus humanus spectari potest vel in *specie* , id est , ratione solius objecti , et fine ac circumstantiis semotis ; vel in *individuo* , et prout singularis est , habita nempe ratione et objecti , et finis , et circumstantiarum. Apud omnes certum est dari actus humanos in *specie* indifferentes ; id est , qui neque boni neque mali sint , et generatim duntaxat et ratione solius objecti considerentur. Tales sunt ambulatio , locutio , &c. ; sed controvertitur utrum admittendus sit actus quidem humanus in *individuo* indifferens ; id est , qui ratione objecti , finis et circumstantiarum simul spectatus , nulla bonitate , nullaque pravitatem morali afficiatur.

Propositio. Nullus est actus humanus in individuo indifferens.

Prob. 1.^o Omnis actus humanus vel rectae rationi consentaneus est , vel non : si prius : bonus est , ut pote congruens regulæ cui conformari debet , ut sit bonus ; si posterius : malus est , siquidem tenetur homo suos omnes actus deliberatos ad rectae rationis normam componere ; ergo , omnis actus humanus bonus est vel malus , ac proinde nullus est indifferens.

Prob. 2.^o Actio quaelibet humana in individuo spectata , fit propter aliquam finem ultimum : atqui hujusmodi actio non potest esse indifferens. Ad illud enim requireretur , ut finis ultimus ad quem spectat agens , neque bonus esset , neque malus : atqui id absurdum est ; nam duplex tantum assignari potest finis ultimus actionis humanæ , scilicet Deus aut creatura ; inter utrumque nihil medii datur : atqui si voluntas operantis actionem referat ad Deum tanquam finem ultimum , bonus legitimusque est finis : malus verò erit si voluntas in aliqua re creata , tanquam in fine ultimo , conquiescat. *Nam stare*

in creatura sine peccato esse non potest, ut clamat ratio, et docet S. Thomas (Supplem. Q. 49. art. 5.) ; ergo sicut finis ultimus quem sibi proponit agens vel bonus est vel malus, idem de quolibet actu humano sentiendum est, ideoque nullus esse potest indifferens.

Prob. 3.^o Si quis actus in individuo esset indifferens, maxime verbum otiosum, quod nempe citra ullam necessitatem et utilitatem profertur : atqui ne verbum quidem otiosum dici potest indifferens, cum de eo rationem summo judici simus reddituri. *Dico autem vobis*, ait Christus, *quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* (Math. 12, 26.) ; ergo, &c.

Objicies. Potest aliquis in horto deambulare delectationis gratia : atqui actio illa est prorsus indifferens ; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Si enim delectatio propter quam deambulamus, referatur ad Deum tanquam finem ultimum, tunc bona est ; mala veró si non referatur. Hinc Theodoretus explicans haec Apostoli verba : *Omnia in gloriam Dei facite*, ipsam deambulationem inter ea recenset quae ad Dei gloriam referenda sunt : *Pulchré, inquit, omnia comprehendit* (Apostolus) *et sedere, et stare et ambulare ut unus sit omnium scopus, Dei gloria.*

CAPUT 3.^m

Unde repetenda sit actuum humanorum bonitas vel malitia moralis.

Tria sunt in actibus humanis, quorum habenda est ratio specialis, nempe *objectum, finis et circumstantia*. Objectum est illud quod fit, v. g., erogatio eleemosynae. Finis actionis est id cuius gratia aliquid geritur, ut Dei gloria, propter quam homo tenetur agere. Circumstantiae sunt adjuncta quae actionem humanam comitantur. Certum est apud omnes actionem non esse bonam, nisi ad ultimum finem legitimum referatur, quem non alium esse demonstravimus quam Deum ; sed quaeritur an, praeter finem, quidquam aliud sit necessarium.

Propositio. Actuum humanorum bonitas et malitia, non solum á fine ultimo, sed etiam ab objecto et circumstantiis repetenda est.

Prob. 1.^a pars. Ex eo non parum pendet actuum humanorum bonitas vel malitia moralis, per quod virtutes et vitia quaedam, ac proinde eorum actus, á se invicem specie distinguuntur : atqui virtutes et vitia quaedam, ideoque eorum actus, á se invicem specie discriminantur propter objectum circa quod versantur. Sic virtutes Theologicae, nempe fides, spes et charitas, á moralibus, qualis est temperantia, specie dis-

crepant ; quia theologicae Deum ipsum habet pro objecto proximo , non autem morales. Sic etiam homicidium et adulterium specie differunt , quia diversa sunt utriusque objecta . Cur homicidio gravius est parricidium , nisi quia aliud est homicidii , et aliud parricidii objectum ? Ad aestimandam igitur actuum humanorum bonitatem , vel malitiam , habenda est ratio objecti circa buod versantur.

Prob. 2.^a pars : Aliquid bonitatis aut malitiae in actus humanos á circumstantiis redundat , si dentur actus alii aliis pejores aut meliores , licet eundem finem , idemque objectum habeant : atqui id certum est. Actio v. g. , illius qui nummum in templo furatur pejor est quam si extra templum fieret ; idem tamen est finis , idemque objectum ; utrobique enim intenditur boni alieni possessio : furtum igitur illud in templo factum , nonnisi propter circumstantiam loci sacri crimen gravius evadit. Actio pauperis alteri pauperi eleemosynam erogantis , caeteris aequalibus , melior est quam actio divitis pari eleemosyna egenum sublevantis : atqui in ea hypotesi melior esse non potest , nisi propter circumstantias tum paupertatis , tum animi ad largiendum propensioris ; ergo quidpiam bonitatis aut malitiae actibus humanis conferunt circumstantiae.

Scholium. Annotandum est inter bonitatem et malitiam moralem id esse discriminis , quod ad bonitatem alicujus actionis necesse sit , ut tria haec , objectum bonum , finis laudabilis et legitimae circumstantiae in actum simul coeant. Ad pravitatem vera actionis sufficit ut unum ex his tribus , nempe objecto , fine et circumstantiis , sit malum.



ETHICA SPECIALIS.

Ehtica specialis de variis seorsim hominum officiis disserit.

DISSERTATIO 1.^a

De hominis erga seipsum officiis.

CUM homo constet anima et corpore simul conjunctis , duplicis ordinis sunt sua erga seipsum officia. Alia sciliaet ad animam , et alia ad corpus spectant.

CAPUT. 1.^m

De officiis hominis ad ipsius animam expectantibus

In eo generatim consistunt hominis erga mentem suam

officia , ut ipsius facultates perficere , ad finemque proprium dirigere studeat. Cum autem duae sint animae facultates , nempe intellectus , et voluntas , ad utriusque curam revocantur hominis erga mentem suam officia.

De officiis , quæ ad intellectum spectant.

Cum ad eum finem destinatus sit intellectus , ut verum agnoscat , mens veris circa res ad officium suum pertinentes sententiis imbuenda est , et cognitionibus homine dignissimis exornanda. Quaedam autem sunt , quorum cognitio ad omnes homines pertinet , qualia sunt Religionis , et morum principia , quibus praelucentibus , vitam in terris honeste , pieque agere , salutemque in altera vita consequi possimus : quamvis cupiditatum aestu ad pravas actiones abripiantur homines : attamen eum mentis suae compotes fiunt , sibi que redduntur , vera , sanaque principia rursus eorum mentibus sublucent, Unde fit, ut importunis conscientiae stimulis exagitentur , ad melioremque frugem redeundi consilium efficax ineant ; id autem vix unquam ab iis praestari solet , quorum in animos non jactata fuerunt salubrium praeceptorum veluti semina.

Sunt etiam quaedam cognitiones certis conditionibus , et vitae institutis accommodatae. Debet autem quisque iis addiscendis praesertim operam dare , quae ad suam artem , suumvé munus recte abeundum necessaria sunt. Ad eas tamen disciplinas animum adjungere licet , quae non sunt primae utilitatis. Habet enim scientiae omnes magna virtutis adjumenta , vel eo solo quod iis assuetus animus , viliores , et hominis prorsus indecoras voluptates contemnere soleat. At summoperé cavendum , né in res obscuras , difficiles , minimeque necessarias studium plus aequo conferamus. Quinimo rerum etiam pulcherrimarum studiis á gerendis negotiis nos abduci recta ratio improbat. *Plus scire , velle quam satis est* , ait Seneca , *intemperantia est*. Praeterea angustiores sunt mentis humanae limites , quam ut omnia possimus animo complecti.

Cum pravae opiniones animum non minus corrumpant , quam vitiosus sanguis habitum corporis , maximé enitendum est , ut menti nullae insideant praejudicatae opiniones. Quod vitium qui voluerit effugere , eas sequetur regulas . quas in Logica exposuimus , ubi de judiciorum erroribus , et remediis.

Nequiequam autem ad scientiam ingenio , labore industria nitimur , nisi totius operis ducem habeamus Deum : instrumenta sunt illa quidem , et subsidia doctrinae : sed quemadmodum terra , quamvis diligenter subacta , et exulta , nihil tamen fructus dabit , nisi praeterea rore coelesti perfundatur,

sic ad ingenii bonitatem , laborisque pertinaciam , nisi accedat obsecundantis Numinis favor , nihil aut certe parum in litteris proficiemus. Frustra scilicet homo plantat , frustra irrigat , nisi det incrementum Deus. Ipsius igitur opem cum Propheta sic implorare quisque debet. *Bonitatem , et disciplinam , et scientiam doce me* (Psal. 118. 66).

De officiis , que ad voluntatem spectant.

1.^o Cum voluntatis proprium sit , bonum appetere , et malum aversari , curandum nobis maxime est , ut appetitus noster nec aliud quam bonum sincerum prosequatur , nec aliud quam verum malum refugiat. Nihil proinde nobis esse debet antiquius , quam ut mendacibus bonorum apparentium illecebris non deludamur.

2.^o Immutabilis quidam est ordo , quem in rebus diligendis servare debemus. Ille autem ordo ex objecti dignitate , et excellentia repetendus est , ita ut perfectiora , et meliora majorem sibi vindicent dilectionem , quam minus perfecta , et minus bona. Dictat enim recta ratio , eundem rebus deberi in nostra dilectione locum , quem habent in justa nostra estimatione. Unde colliges Deum super omnia esse diligendum , cum sit summum bonum , quo nihil perfectius , nihil excellentius excogitari potest ; et animam magis esse amandam , quam corpus , quia corpore melior est , ac praestantior.

3.^o Ex voluntatis affectibus alii sunt ex natura sua pravi , et inordinati , qui totidem sunt animi aegritudines , ut ambitio , avaritia , voluptatum amor ; in iis reprimendis , et coercendis plurimum diligentiae adhibendum est : alii vero sunt affectus , et appetitus ex natura sua boni , quos intra legitimos fines continere debemus , et rationis imperio subjicere , ut eos ad propriam destinationem flectat. Bonum est , v. g. felicitatis desiderium , sed legitimum ad finem dirigatur necesse est , nempe ad Deum , in quo solo sita est nostra summa felicitas ; bonum est etiam cognoscendae veritatis studium , modo tamen *altiora te non quæsieris , fortiora te non scrutatus fueris*. (Eccl. 3. 22).

4.^o Si teneamur omnes affectus ex natura sua prava , et inordinatos omnino reprimere , fugienda sunt igitur quaecumque illos fovere aut excitare possunt.

CAPUT 2.^m

De officiis hominis ad corpus suum spectantibus.

Cum Deus animam corpori ea lege conjunxerit , ut ipsius

bono , et salutem consuleret , debet homo , quantum honeste fieri potest , curare ut sua corpori vita , sua integritas , suaque valetudo constet; debet ipsius vires cibo, potu, et somno reficere. Qua tamen in re , non quid voluptas suggerat , sed quid necessitas requirat , attendendum. Si enim cibus et potui plus aequo indulgentur , inde contingere solet , ut corpus adversus rectorem suum animum efferatur insolentius , ipsiusque imperium detrectet ; nec molliter igitur curandum corpus , nec labore nimio frangendum , sed moderata exercitatione roborandum. Nulla enim pestis mollitiae , et desidia foedior. Corpus simul, et animam corrumpit , hominemque et sibi , et aliis inutilem efficit. Ex ea pullulare omne vitiorum genus , luctuosa comprobatur experientia.

Corporeis sensibus quidam , ut Scripturae verbis utar, *custodia ponenda est*. Quae enim per oculos , et aures subeunt species , eae saepius in imaginationis sede vestigia se imprimunt, pravis animi affectionibus excitandis maxime accommodata. Debent praesertim juvenes ab iis rebus praecavere , quae periculosas in sensibus commotiones , et subinde vividiores in animo affectus excitare solent. Cum enim in ipsis magis ardescat cupiditas , ferveat imaginandi vis , et sanguis vehementius ebulliat, ex visis , et auditis repente inflamatur , et ad medullas usque penetrat morbus aliquando insanabilis.

QUAESTIO 1.^a

An suicidium aliquando sit licitum.

Sapientem posse morte voluntaria hujus vitae aerumnis, et doloribus sese subducere , olim contendebant Stoici. Insanam hanc opinionem nostris hisce temporibus defenderunt nonnulli Sophistae , quibus non satis fuisset omnem morum regulam subvertere , nisi in aliorum suamque vitam tandem aliquando conjurassent.

Propositio. 1.^a Suicidium propria voluntate commissum actus est rebellionis erga Deum.

Prob. Ille est erga Deum rebellis , qui leges Dei aperte contemnit , et ipsius jura sibi arrogat : atqui duplici hoc vitio laborat , qui seipsum propria voluntate occidit : 1.^o Quidem leges Dei aperte contemnit. Ea quippe est lex omnium peccatoribus à Deo insita , ut quisque corporis sui conservationi provideat , et quae ipsi nocent naturae instinctu aversetur: ea vero naturae lex iterum in decalogo his verbis promulgata est ; *non occides* : qua lege tam nostra , quam proximi vetita est occisio , quia non plus juris homo in suam,

quam in proximi vitam habet : atqui legem hanc spernit , aut saltem arbitraria interpretatione irritam facit , quisquis seipsum ieterficat ; ergo 1.^o &c.

2.^o Jura Dei sibi arrogat : Deus enim solus est supremus vitae , et necis arbiter : *Ego occidam , et ego vivere faciam* (Deut. 32. 39.). *Tu es , Domine , qui mortis , et vitæ habes potestatem.* (sap. 16. 13.) Vita igitur nostra quoddam est depositum , quod solus repetere potest , qui solus dedit. Militia est vita humana : quemadmodum ergo non potest miles stationem sibi commissam relinquere sine jussu Imperatoris ; ita et multo minus , non potest homo ab ista mortali vita discedere praeter Dei voluntatem , qui est summus imperatorum Dominus.

Propositio 2.^a Qui seipsum voluntarie occidit , reus est in societatem , et crudelis in seipsum.

Prob. 1.^a pars Ille reus in societatem censi debet , qui ipsi eripit membrum utile , qui spem omnem , et facultatem abjicit boni cujuscumque hominibus conferendi : atqui ita se habet , qui cruentas sibi infert manus. ; Numquid objiciet se in eo statu versari , in quo nullum societati bonum conferre possit ? Sed 1.^o ; qua ratione certus est , statum illum diuturnum fore , et constantem ? 2.^o ; Nonne potest aliis utilem sese praestare patientiae et fortitudinis exemplum praebendo ? 3.^o Si prodesse nequeat , saltem nocere non debet : jam vero sui interfector societati plurimum nocet. Caeteros enim , quantum in se est , hortatur , ut fortem rebus in adversis constantiam spernant : quod profecto societati maximè est exitiosum ; si enim possit quisque vitam abjicere , ut ab importunis doloribus sese liberet ; ; cur non poterit ad effugiendum aliquod incommodum abdicare , et Principatum , et Magistratum , et exercitus imperium ? ; Cur non poterit Paterfamilias , ut propriae tranquillitati consulat , uxorem , et liberos deserere , et sese in solitudinem recipere ? ergo in societatem reus est , qui seipsum interimit.

Prob. 2.^a pars : Ille in seipsum crudelis est , qui sub fugiendi mali praesentis obtentu , in apertum summae infelicitatis discrimen sese conjicit : atqui in horrendum illud periculum incurrit , qui vitam sibi eripit. Praesentia quidem mala declinat : at incertus est , melioremne , an longe deteriores conditionem sit experturus. Imo potius , si providentiam divinam agnoscat , cujus ordinatione omnia in mundo contingunt , certus est , injussum se ad supremi Judicis tribunal intrudere , ac proinde male ab eo accipiendum est , et paenis gravissimis afficiendum.

Solvuntur objecta.

Obj. 1.^o Illud licitum est , quod fortis est animi : atqui seipsum interimere , fortis est animi ; ergo &c.

Resp. Neg. min. Qui seipsum interimit , non fortitudinem , sed animi abjectionem demonstrat. ¿ Cur enim ita se gerit , nisi quia vel taedium vitae , vel infortunia , morbos , egestatem , aut alia hujus vitae mala tolerare non potest ? qua in re ignaviam sapiens quisque deprehendet , non fortitudinem , quae in earumnis constanter perferendis sita est. Hinc praeclare Martialis:

*Rebus in adversis facile est contemnere vitam,
Fortiter ille facit , qui misser esse potest.*

Eos qui ut suicidium fortitudinis laude commendent , quorundam Romanorum allegant exempla : sic compellat Rousseau Genevensis : *¿ Quicres escusarte con ejemplos , y te atreves á mentar á los Romanos ! ¿ Que mal has escogido tus ejemplos ! y que bajamente juzgas de los Romanos , si piensas que se creian con facultad de quitarse la vida , al punto que les era gravosa. Mira los tiempos gloriosos de la República , y examina si ves á un solo ciudadano virtuoso libertarse así de la carga de obligaciones , aun despues de las mas acerbas desventuras. ¿ Evitó Régulo de vuelta á Cartago , los tormentos que le esperaban con darse así la muerte ? ¿ que no habría dado Postumio , porque le hubiera sido licito este refugio en las Furcas caudinas ? ¿ el esfuerzo de valor del Consul Varron en haber podido vivir despues de su derrota , no admiró al mismo Senado ? Por que motivo se dejaron entregar voluntariamente á los enemigos tantos Jenerales , para quienes tan cruel era la ignominia , y á quienes tan poco el morir costaba ? por que debian á la Patria su sangre , su vida , y su postrer aliento ; y porque ni la ignominia , ni los sucesos infaustos los podian dejar immunes de esta obligacion sagrada.*

Obj. 2.^o Eam licet vitam abjicere , quae nobis malum est , et nemini bonum ; contingit aliquando , ut vita nobis sit malum et nemini bonum ; ergo tunc licet eam abjicere.

Resp. 2.^o Neg. maj. utpote verbis generalibus conceptam. Haec enim praeterea conditio est adjungenda , ut scilicet non culpa nostra : v. g. immoderatis cupiditatibus , vita nobis malum evaserit. Refraenandas esse cupiditates , non vitam abjiciendam esse jubet lex naturatis.

Resp. 2.^o Neg. min. Nunquam enim contingere potest , aliquem ita esse ab omni societatis vinculo solutum , ut nulla

supersint officia erga caeteros homines implenda. ¿ Nonne Parentes , liberos , propinquos , amicos habet , quorum in gratiam vitam servare debeat ? ¿ Nonne tenetur societati universae exemplum praebere patientiae et fortitudinis , ex quo plurima in Rempublicam derivabitur utilitas ? Cum enim homines nascantur societatis membra , tenentur bonum publicum , quantum in se est , promovere. Hinc ita prosequitur praefatus scriptor. *Yo no estoy ligado á nada soy inutil en el mundo. Filósofo de un dia ¿ no sabes que no puedes dar un paso en la tierra , sin encontrar con una obligacion que desempeñar , y que todo hombre es util á la sociedad por el mero hecho de existir ? Cada vez que te veas tentado á abandonarla , di dentro de tí " quiero hacer una buena accion antes de morir " Ve luego á buscar á algun desvalido que socorrer , á algun desventurado , que consolar , á algun oprimido que defender. Allega á mi los infelices , que no se atreven á acercarseme : no temas abusar ni de mi bolsillo , ni de mi crédito ; coje , desparrama mis bienes , hasme rico. Si te detiene hoy esta consideracion , te detendrá tambien mañana , pasado mañana , y toda tu vida. Si no te detiene , muere , que eres un malvado.*

Obj. 3.^o Vitam nobis concessit Deus , tanquam beneficium ; ergo nobis succensere non debet , si beneficium illud restituamus , quando nobis molestum est.

Resp. 1.^o Dist. ant. Vita est beneficium , simul et depositum : conc. vita merum est beneficium. neg.

Itaque vita beneficium est simul , et depositum á Deo nobis concreditum , ut illud seduló tueamur , et servemus , donec ab eo reposcatur , á quo nobis fuit commissum . Si enim vita merum esset beneficium , et munus , eâ pro suo nutu et arbitrio uti possent homines , nec vitae suae rationem cuique deberent , nec proinde á Deo pendere censerentur ; atqui illud omnino repugnat ; ergo vita merum non est donum , sed etiam depositum , quod retinere debent homines , donec illud Deus repetat .

Resp 2.^a Neg. conseq. Merito quippe nobis succensere potest Deus , quando concessum nobis vitae beneficium injussi abjicimus , propter mala quae nobis ingruunt . ¿ Quid enim id aliud est , quam ejus providentiam incusare , ejusque benignitati et justitiae diffidere ? namque si de benignitate , de justitia , providentiaque divina non dubitaremus , mala , quae nobis accidunt haberentur , vel tanquam priorum scelerum poenae , vel tanquam meriti comparandi instrumenta , vel tanquam totidem occasiones patientiam , nostramque in Deum fiduciam exercendi , et excitandi.

Obj. 4.^o Mors aliquando unicum superest malis nostris

remedium , ergo tunc licet ad eam confugere : vetitum quippe non est malis nostris finem imponere .

Resp. 1.^o Neg. ant. Tum quia in praesenti vita nihil est omnino desperatum , perpetuae sunt enim in rebus humanis vicissitudines ; tum quia alteram fore vitam , in qua sua erit virtuti merces , et crimini poena , demonstravimus . Cum autem vitam sibi proprio arbitrato auferre , et inconsulto , qui eam nobis concessit Deo , grande sit nefas , quanta supplicia eos manent , qui tantam suo Creatori injuriam inferunt ! nedum igitur mors sit malorum remedium et finis , contra initium est poenae longe gravioris in altera vita subeundae .

Resp. 2.^o Neg. cons. Quamvis enim mors unicum foret malorum , quae patimur , remedium , ad illud tamen proprio nutu confugere non liceret . Expectandum enim est , donec providentia divina , quae certo consilio ea mala permittit , aliquod praesenti nostrae conditioni levamen , et solatium , eo quo sibi libuerit modo , afferat .

QUAESTIO 2^a

An liceat ad propriae vitae conservationem injustum aggressorem occidere , vel singulari certamine cum aliquo congredi .

Cum ex lege naturae demonstratum sit , nos teneri ad vitae custodiam , hinc oritur quaestio de nostra defensione adversus aggressores . Hac de re agunt juris Scriptores , quorum multi non solum à mansuetudine evangelica , sed etiam ab ipsa lege naturali longius recedunt . Varii autem casus distinguendi debent . Et primum quidem non licet occidere aggressorem , qui bona fortunae tantum invadit , contrarium enim est rationi pro minori bono , ut sunt divitiae , non corporis dumtaxat vitam , sed etiam animae eripere , quolibet enim fortunae bono infinitè excellentior est corporis vita , animaeque salus ; ac proinde rectae rationi repugnat , ut ad bonorum illorum conservationem in causa simus , corpus non solum perire , sed animam quoque aeternum damnari ,

Quamvis autem bonorum furem occidere non liceat , unicuique tamen competit jure sua bona defendere , atque excepto mortis periculo , bonorum jacturam impedire , et aggressorem arcere . Porro ex notione charitatis evidens est , intra justos limites continendam esse defensionem , ita ut animus ab omni vindicta sit alienus . Quare si ad bonorum defensionem mitiora media sufficiunt , utendum non est durioribus , nullum enim jus habemus alterum offendendi , nisi quatenus justa nostri defensio exigit , non autem ut aggressor offendatur , eique malum

inferatur. Si ergo subrepta bona Magistratus auctoritate , vel alia qualibet ratione possint recuperari , aggressorem laedere non licet.

Ex iisdem principiis patet responsio ad quaestionem aliam, utrum liceat in propriae vitae defensionem injustum aggressorem occidere. Ad vitam servandam mitiora media adhiberi debent , odium abesse debet , neque seipsum defendens , mortem aggressoris potest intendere , sed tantum propriae vitae conservationem. His autem adhibitis conditionibus , si violentus aggressor aliter deppelli non possit , jam eum de medio tollere licet ; atque in hac defensione jus *inculpatæ tutelæ* , quod appellant , positum est. Hinc patet , inculpatæ tutelæ locum non esse , si arrepta fuga , nostrae conservationi consulere possimus. Cur autem in bonorum invasione furi mortem dare non liceat , secus autem liceat ad servandam vitam , facilis est ratio. Etenim omnia , quae vocantur fortunæ bona , nullius sunt pretii , si cum vitae bono conferantur , praesertim si mortis improvisae periculum , et poenae in altero vitae statu peccatoribus destinatae attendantur. Hinc S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 3. velut perfectiorem charitatis actum laudat , si quis de suae conscientiae rectitudine moraliter certus , ad salvandam aggressoris animam se occidi permittat. *Nam alias fatuè faceret , exponendo se morti corporis , et animæ , cum sibi per mortem præcludatur via pœnitentiæ.*

Porro ex his patet , qua ratione intelligi debeat S. Augustinus , qui lib. 1. de lib. arb. cap. 1. affirmat *naturalem charitatis ordinem violari ab eo , qui ut corporis vitam servet , salutis aeternæ jacturam infert proximo* : haec S. Doctoris verba generatim intelligi non possunt ; iniquum enim est , et fatuum , ut ait S. Antoninus , aeternam proximi salutem nostrae anteponi. Praeterea cum jus inculpatæ tutelæ , conditionesque singulae vix servari possint , homo enim in vitae periculo constitutus variis affectibus , praesertim odio perturbatur : hinc fit ut *practice* loquendo , illicitum fere semper sit aggressorem occidere , id enim vix fieri potest sine vindictæ , nocendique animo , atque in hoc alio sensu explicari etiam potest mens S. Agustini.

Praeter fortunæ vitaeque bona jam recensita , alia sunt etiam bona , qualis est honor vel fama. Homo omnes suas actiones ad sui , aliorumque perfectionem , et ad Dei gloriam dirigere tenetur , ac proinde nihil debet facere , quod suae , aliorumque perfectioni , atque Dei gloriae repugnet. Aliorum de hac perfectione iudicium est , id , quod honoris , vel famae nomine appellamus , incumbit ergo omni homini , ut se honore , sicut bona fama dignum præbeat. Porro aliae virtutes dicuntur

intellectuales, quae pertinent ad intellectum, qualis est scientia &c. Aliae dicuntur *morales*, quae pertinent ad voluntatem, qualis est temperantia &c. Itaque cum intellectum et voluntatem perficere teneamur, incumbit homini, ut se bona fama dignum praestet, tum quoad virtutes intellectuales, tum quoad morales. Fama autem de virtutibus intellectualibus *nominis celebritas* vocari solet. Igitur cum non solum ad nostram, sed aliorum quoque perfectionem tendere, illisque exemplum praebere teneamur, famam nostram tueri, atque defendere debemus, maxime quoad virtutes morales, quae intellectualibus sunt longe praestantiores. Servandae famae obligatio omni aetate notissima fuit, unde illud Poetae.

Omnia si perdas, famam servare memento.

Hanc obligationem exemplo suo nos docuit Christus, qui Joan. cap. 8. v. 58. adversus Judaeorum calumnias famam suam defendit. Porro duplici tantum ratione famam vindicare licet, factis scilicet, et verbis. Et quidem contra calumnias fama defendi non potest, nisi efficiamus, ut nulla calumniatori fides habeatur, id autem factis et verbis dumtaxat obtineri potest. Et primum quidem honestissimus, et omnium tutissimus famam tuendi, et calumniam repellendi modus hic est, si nempe factis contrariis calumniae reffellantur, ita enim calumnia fiet manifesta, nullaque alia erit opus defensione, atque tandem successu temporis apud viros bonos fama restituetur at quidquid agas apud viros malevolos, nihil prorsus effeceris, patienter igitur ferenda sunt, quae mutari non possunt, atque in hoc casu valet tritum illud.

Conscia mens recta famæ, mendacia ridet.

En tutissima arma, quibus calumniam arcere, atque repellere possumus. Non solum factis, sed etiam verbis famam defendere licet. Absit autem, ut quis sibi persuadeat, ad famae defensionem licitum esse calumnias calumniis retorquere, et calumniatorem conviciis, atque injuriis lacessere, qui enim ita se gereret, non famam vindicaret, sed amitteret, et male conceptam de se suspicionem confirmaret. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*: (1. Petr. cap. 3.) Fama, et existimatio verbis licite defenduntur, si calumniae falsitas verbis demonstretur. Neque est quod dicatur proximo injuriam fieri, eum veluti calumniatorem traduci, ejusque fidem labefactari.

Etenim in conflictu officiorum erga seipsum, erga alium

vincit officium erga seipsum. Et quidem cum licitum sit non parcere vitae alterius, ut propriam serves, licitum quoque est verbis famam reparare, etiamsi calumniator non sine dedecore manifestus fiat, et certe non privato tantum homini nocet calumnia, sed universae societati perniciosissimum est crimen. Id autem magis ac magis manifestum fiet, si falsa hominum judicia, et injustas de aliis opiniones attendamus, tenemur quidem, quantum in nobis est, nemini offensionis occasionem praebere, alios exemplo nostro ad virtutem excitare debemus. At cum iniqua persepae sit hominum lingua, ita ut in ipsos quoque sanctissimos, illibatosque homines saeviat, de hominum laude curandum non est, nisi quatenus aliis bono exemplo esse tenemur, et nemini offensionem praebere.

Caeterum si quid bene egerimus, laudem Deo dare debemus, non nobismetipsis, neque ab hominum iudicio, sed á divina iustitia, atque misericordia expectanda est merces. Haec omnia argumenta, quae hactenus exposuimus, facile demonstrant, legi naturali, atque civilis societatis tranquillitati repugnare singularia certamina sive *duella* quae ad ulciscendam injuriam committi posse, affirmarunt perversissimi quidam rerum moralium Scriptores. Hinc merito certaminibus istis gravissimae poenae decernendae et perniciosissima haec injuriarum ultio severe coercenda. Neque valet ineptissimus honoris servandi, vitandaeque ignominiae praetextus, vanissimus enim est, atque turpissimus honor ille, qui in legis naturalis violatione consistit. Clarissimus quidem, vitaeque ipso charior debet esse honor, qui ex divinae legis observantia desumitur, sed ex hominum arbitrio, mundanisque, et superbis opinionibus gloria nostra aestimari non debet.

DISSERTATIO 2.^a

De hominis erga ceteros homines officiis communi humanitatis titulo subnixis.

Principium generale: *Alios homines sicut seipsum diligere tenetur*: ratio est, quod omnes quatenus homines sint aequales; omnium enim eadem est natura; omnes similibus pollent facultatibus; omnes ab uno eodemque Deo conditi sunt; omnes ab uno eodemque parente suam ducunt originem; omnes pari ratione in lucem editi, adolescent, consenescent, intereuntque similiter; omnes denique ad eundem finem destinantur.

Corollaria.

Hinc colliges 1.^o: diligendos esse inimicos: lege enim

naturae tenemur omnes homines diligere : atqui lex naturalis prorsus immutabilis est ; nec proinde eam abrogare potest inimicitiae ratio. Naturale hoc praeceptum sic confirmat Christus: *Diligite inimicos vestros ; benefacite iis , qui oderunt vos , et orate pro calumniantibus vos* (Math. 5. 44.)

Colliges 2.^o Nulli damnum esse inferendum. Alios enim homines , sicut nosmetipsos diligere debemus : atqui ita se , sua-que amat unusquisque , ut sibi damnum afferri nolit ; erga caeteros igitur homines eodem modo comparatus esse debet. Abstinentum est proinde ab homicidiis , latrociniiis , furtis , rapinis , calumniis &c. si quis ergo vel per se , vel aliorum ministerio nocuerit alteri in bonis sive corporis , sive animi , sive fortunae , sive famae , tenetur ille , quantum in se fuerit , damnum resarcire. Frustra quippe clamat naturae lex , nemini afferendum esse detrimentum , si impuné violari possit *Detrahere aliquid alteri* , ait Tullius , *et hominem hominis incommodo suum augere commodum , magis est contra naturam , quam mors , quam paupertas , quam dolor.*

3.^o Proximo indigenti pro modulo nostro subveniendum esse. Amor enim otiosus , et nihil agens nullus merito reputatur. Subsidia autem proximo debita alia sunt *spiritualia* , alia *corporea*. Prioris generis ista sunt : ignorantes erudire , errantes corrigere , dubitantibus consilium dare , maestos consolari , Deum pro salute proximi orare. Posterioris autem generis septem numerantur ; scilicet esurientes pascere , sitientibus potum dare , nudos vestire , captivos redimere , peregrinos hospitio excipere , aegrotos invisere , mortuos sepelire. Ita proximo indigenti succurrendum esse , clamat primaria haec naturae lex: *alteri faciendum est , quod nobis factum merito velimus* : atqui nullus est , qui aliorum beneficiis sublevari juste non velit , cum iis opus habet.

Observandum est autem in beneficiis proximo conferendis quemdam servandum esse ordinem, Extraneis enim anteferendi sunt , qui sanguine , amicitia , vel religione nobis sunt conjunctiores. Regulam hanc ita statuit S. Augustinus. *Cum omnibus prodesse non possis , his potissimum consulendum est , qui constrictius tibi junguntur* (Lib 1. de Doct. Chris. cap. 28. tom 3. pag. 14.) Quae regula nititur ipsa natura , que ad illud constanter inclinatur , ut magis quam extraneos eos diligamus , et ope nostra juvemus , qui vel consanguinitatis , vel amicitiae , vel religionis vinculo nobis sunt colligati. Si tamem extraneus graviori necessitate laboraret , anteferendus esset propinquo longe minus indigenti. *Nam vera in hoc est Charitas* , ait S. Bernardus , *ut qui indigent amplius , accipiant prius* (Tom. 1. pag. 1440. n. 6.)

De hominum officiis ad societatem spectantibus.

Societas est plurimorum hominum conjunctio ad eundem finem consociatis viribus assequendum.

ARTICULUS 1.^s*De officiis in ordine ad societatem universim spectantibus.*

1.^o Contra nonnullos Philosophos demonstrabimus homines ad societatem factos esse , et divinitus destinatos. Deinde per modum corollarii exponemus , quae exinde derivantur officia.

Thomas. Hobbes fatetur quidem homines alios aliis indigere, maxime senes , pueros , aegrotos ; sed negat eos ad societatem à natura esse comparatos. Quinimo contendit homines esse sibi invicem naturaliter infensos. Voluntas laedendi , ait , omnibus inest in statu naturae qui scilicet societatum institutionem praecessit. Ideo contendit naturalem hominum conditionem esse statum belli omnium contra omnes , in quo singuli ad illud perpetuo intenti sunt , ut alios seu vi , seu fraude , seu quovis alio modo praeoccupent.

Rousseau Genevensis non ita ferocem et bellicosum hominem é Caeatoris manibus prodire asserit sed mitem , et benignum , omniumque virtutum seminibus à natura instructum esse ; ipsum autem societate depravari , in vitiaque primum fieri contendit. Unde concludit hominem , nedum fuerit ad societatem , qua corrumpitur à naturâ constitutus , ab ea é contrario destinatum esse , ut belluarum instar in silvis , in agris , in cavernis vitam ageret segregem , in quibus ab omni labe sese purum servaret,

Utroque illo systemate quantum deprimatur humanae naturae dignitas , facile est intelligere ; alterum homines belluis pejores fingit ; alterum parem homini , brutisque animantibus conditionem attribuit. Adversus eos sit.

Propositio. Homo natus est ad societatem cum aliis hominibus ineundam.

Prob. Ad illud homo natus est , quod postulant ipsius conditio , facultates , et propensiones : atqui ut homo cum aliis hominibus societatem ineat , postulant &c.

1.^o Quidem ejus conditio. Varias enim hominum aetates perlustra , et eum nunquam sibi sufficere , sed aliorum ope semper indigere comperies. Si eum in puerili aetatae inspicias , qua ratione tenellulus infans vitam servare potest , nisi

sedula parentum cura ipsum foveret , tegeret , aleretque ? Alio-
qui nudus , humi jacens , aeris inclementiae expositus , vel
cito inedia consumeretur , vel belluarum ferocium praeda fac-
tus vix in lucem editus , periret miserabiliter.

Sed fingamus eum adolescentiam assequi : nisi tunc paren-
tum , aliorumve hominum consiliis erudiatur , et auxiliis adju-
vetur ; quid erit aliud , quam ferox quoddam animal , diver-
sas animi , et corporis facultates ignorans ? Deinde virilem aeta-
tem attingat , tunc occurret generatio , prolisque educatio , et
communis liberorum cura , quae patrem inter et matrem vitae
consortium , ac proinde societatem exigit. Denique ubi conse-
nuerit , eadem , quae in infantia , recurret corporis imbecillitas
 , eadem infirmitas ; tunc igitur sublata hominum societate ,
humi procumbens , variis morbis , miseriisque confectus , nullis
remediis sublevatus , nullis cibis recreatus , durissima fame
extinguetur ; ergo 1.^o postulat hominis conditio , ut cum aliis
hominibus societatem ineat.

2.^o Id etiam requirunt hominis facultates , multis enim
praeditus est copulandae societati aptissimis , et quae eâ su-
blatâ sunt prorsus inutiles. Quid v. g. ad societatis usum esse
potest accommodatius , quam facultas varios animi sensus , voce ,
vultu , gestibus , aliisque signis externis exprimendi ? ; quid
autem inutilius , si omnem societatem sustuleris ? Inest homini
facultas , documenta recipiendi , quibus perficiatur ; inest inge-
nium , quod , posita societate , artium , scientiarumque est
capax. Tolle societatem , et otiosae prorsus erunt egregiae
illae dotes animi , incultaeque omnino marcescent : ergo 2.^o ho-
minem ad societatem naturâ esse destinatum probant , quibus
exornatur , facultates.

3.^o Idem demonstrant propensiones omnibus ingenitae. Sic
nemo est , qui congressus hominum fugiat , et oderit ; nemo
est , qui non amet in amicorum sinu suos dolores exonerare ;
nemo est , qui propriam laetitiam in aliorum veluti gremium
effundere non gestiat : nemo feré qui in solitudine vitam agere
velit prorsus segregem ; omnibus insita est bonam apud alios
famam comparandi cupiditas , cujus tanta vis est ; ut homines
ad suscipiendas res , vel maxime arduas , impellat ; omnibus
inditi sunt quidam beneficentiae , et commiserationis sensus ,
quibus fit , ut humani nihil á nobis alienum putemus : ut cu-
juslibet miseriis commoveamur : ut cuilibet periclitanti , vel pa-
tienti opem , et solatium , quantum in nobis est , naturae im-
pulsu praebeamus : atqui omnes illae propensiones ad consocian-
dos , secumque invicem colligandos homines conspirant , ergo
3.^o aliunde &c. ergo homo natus est &c.

Obj. Homo natus est ad felicitatem : atqui societas felicitati adversatur ; ergo &c.

Resp. Neg. min. Illud enim felicitati minime nocet , quod legibus sapientissimis agendi rationem civium ad bonum commune dirigit , omnesque impellit ad implenda sua erga Deum, seipsos , caeterosque homines officia : atqui id efficit societas, non vero aequalitatis status , in quo pro suo quisque arbitrio vitam institueret.

Et vero si veteres , et recentiores historias relegamus, compertum erit multos populos formam quidem regiminis commutasse v. g. modo Monarchiam Republicae , modo Rempubli- cam Monarchiae praetulisse : nullum vero invenias , qui om- nem prorsus societatem abjecerit : persuassum igitur habuerunt hanc vel illam regiminis formam communi felicitati non esse accommodatam , non vero societatem in se consideratam.

Inst. ; Illud felicitati adversatur , quod cupiditatibus prae- bet originem ; atqui societas &c. ergo &c.

Resp. Neg. min. Cupiditates enim suam in ipso pectore humano sedem habent , et originem ; nobiscum nascuntur , et adolescunt. Qua rerum conditione semel posita , homines hunc statum eligerunt , non ubi tollerentur cupiditates , quod prorsus erat impossibile ; sed ubi compresae , minus communi felicitati obstant. Jam vero manifestum est statum socialem in quo vigent leges , et poenae adversus violatores constitutae, reprimendis cupiditatibus aptiorem esse , ac proinde communi felicitati magis idoneum , quam statum naturalem , in quo pariter existunt cupiditates , nulloque fraeno continentur, ergo so- cietas cupiditates coercet , nedum ipsis originem praebet.

Corollarium 1.^m Debet civis quisque patriae legibus obtem- perare: cum enim firmissimum sunt cujuslibet societatis munimen- tum : iis sublatis , haec corruat , necesse est. Gravissimi igitur criminis rei sunt , qui patrias leges infringere non dubitant. Quantum enim in se est , societatem destruunt. ; Quid autem id aliud est , quam in Deum ipsum rebellare , qui societatis est auctor , cum ad eam homines destinaverit ?

Corollarium 2.^m Vitam pro Patria effundere , ubi opus est, debemus. Quisque enim societatis alicujus membum fit, huic seip- sum, suaque omnia tradit: ad promovendam communem utilitatem, quocumque poterit modo , sese obstringit. Nostra proinde vita proprium fit Patriae bonum. Ubi igitur ad deppellendam ipsius perniciem , vel gravem aliquam necessitatem , necesse erit , ut Civis in manifestum vitae periculum incurrat , repetendi hujus sacrificii jus habet Patria. Quod si abnuat civis , graviter in Patriam peccat , et turpissimum sibi dedecus inurit. Quid enim

indignius , et abjectius est , quam paucos vitae ignobilis dies anteferre et officio suo , et societatis cui omnia debemus , utilitati?

¡ Contra vero quam magno fortique animo dignum , quam dulce est , et officio suo , et patriae bono se devovere ! Omnem mortis horrorem discutit ista cogitatio : *Meo sanguini salutem suam Cives debituri sunt. Apud eos aeternum vivent nobilior mei pars , meæque virtutes. Patriæ etiam post mortem , sum profuturus clarissimum meæ in eam charitatis exemplum Civibus relinquendo.* Qua cogitatione armati plurimi tum Graeci , tum Romani ; pro Civium salute ad certam mortem convolarunt.

Corollarium 3.^m Suis quisque bonis Patriam debet adjuvare : ea tantum lege id juris habent privati , ut eorum fortunas , et vitam defendat Respublica , ipsorumque incolumitati , et securitati invigilet , et provideat ; in publicorum igitur sumptuum partem veniant , oportet. Quinimo in arctum sese cogere , et superflua resecare debent Cives , quando id exigit publica necessitas. ¡ Si enim vitam ipsam , quanto magis suas facultates tenentur Patriae devovere !

Corollarium 4.^m Suas animi et corporis dotes in patriae utilitatem impendere debent Privati. Iis enim á Deo concessae non fuerunt , nisi ut eas in commune societatis bonum conferrent , Graviter igitur peccant , qui neglectis egregiis animi facultatibus , turpi otio , et mollitie diffiunt. Longe aliter se geret bonus civis. Quidquid dotis accepit á Deo , in societatis cujus est membrum usus adhibebit , aliquem Magistratum , vel artem patriae utilem exercendo. Ratus eo consilio instituta esse munera publica , ut societatis felicitati serviant , non alium sibi finem proponit. In iis obscundis non propriam tantum gloriam , non privata comoda , sed communem patriae utilitatem sectatur.

CAPUT 3.^m

De hominum officiis in ordine ad varias societatis species.

Societas dividitur in domesticam et Civilem.

De societate domestica.

Triplex potissimum distinguitur societas domestica ; nempe *conjugalis , paterna , et herilis.*

De societate conjugali

1.^o Societatis conjugalis praecipuus finis est liberorum procreatio , propter quam sexuum diversitas in humano genere

constituta est ; dicente Scriptura : *Masculum , et fœminam creavit eos , benedixitque illis , et ait : crescite , et multiplicamini*, (Genes. 1. 27. et 28).

2.^o Matrimonium comitari solent graves aerumnae , anxietates , sollicitudines , quæ infaustae sunt primi peccati appendices. Unde Apostolus de conjugibus sic habet : *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi* (1. Cor. 7. 2). Debent igitur conjuges mutuam opem sibi praestare , ut grave nuptiarum jugum facilius sustineant. Ad illud autem assequendum , sese invicem diligant , mutuoque honore concordiam firmare studeant necesse est : adeo ut mulieres sint viris suis subditae , et viri uxores habeant tanquam socias , non veluti famulas. Idcirco mulieribus sic jubet Apostolus : *Mulieres viris suis subdita sint , sicut Domino , quoniam vir caput est mulieris , sicut Christus caput est Ecclesiae* (Ephes. 5. v. 22. et 23). Deinde sic viris praecipit : *Viri , diligite uxores vestras , sicut et Christus dilexit Ecclesiam , et seipsum tradidit pro ea* (Ibid. v. 25). Ut autem mutuus inter conjuges amor foveatur , vir debet quantum ferunt Religio , et ratio , uxori benignum sese et obsequiosum praebere ; debet infirmitates sexus debilioris patienter sustinere ; debet , quantum prudentia suggesserit , rerum domesticarum eam participem facere ; sed ita ut auctoritatem in familiam semper retineat , cui praesese sui est muneris.

3.^o Cum inter conjuges individua sit vitae consuetudo , perpetuumque vinculum , quod sola morte dissolvi queat , in uxoris et mariti delectu summa adhibenda est diligentia. Quod officium ad parentes praecipue spectat. Juvenes enim , cum sint inexperti , et caeco quoddam affectuum impetu abripi soleant , ad rem tanti momenti feliciter conficiendam sunt prorsus impares. Habenda est autem ratio aetatis , fortunae , conditionis , ingenii , et indolis , ut in omnibus quantum fieri potest , inter utrumque conjugem servetur aequalitas. Nihil vero studiosius explorari debet , quam ingenium , et indoles. Alioqui rixis , dissidiis innumerabilibus perturbabitur societas conjugalis

4.^o Postulant veritas , et justitia , ut neuter futurus conjux mendacio , vel fraude alterum decipiat ; sed contra ingenuè ea sibi invicem declarent , quorum cognitio utriusque intersit , priusquam matrimonii jugum subeant. Sic Raguel Saram filiam suam in matrimonium Tobiae traditurus , eum de septem virorum , quibus illa jam nupserat , morte praemonuit. (Tob. 7). Cum enim Deus cujus Providentia omnes eventus diriguntur , sit summe verax et justus , felicem exitum ab eo sperare non debent , qui in contrahendo matrimonio fraudem adhibuerunt.

5.^o Diligentissime curandum est , ut ea deligatur uxor,

quae Deum timeat, quae virtutibus ornetur, et moribus christianis sit imbuta. His enim dotibus si careat, quomodo virtutem et pietatem teneris liberorum mentibus instillare poterit, quod tamen praecipuum est munus? Praeterea si vetitum sit, ne cum malis et improbis societatem ineamus, quorum vitia nostros in animos sensim subreperent; quanto minus licet conjugem pietate destitutam assumere! longe enim arctior esse debet societas cum uxore aut marito quam cum amicis.

De societate paterna.

Societas paterna ea est, quae patrem inter et filios intercedit.

De Parentum erga liberos officiis.

1.^o Non satis est Parentibus liberos procreare: praeterea alendi sunt, atque educandi. Eos proprio lacte matris esse enutriendos, non alienis uberibus tradendos, ipsa docet natura, quae mulieri dedit, quidquid ad munus illud requiritur. Praeterea matris non secus ac liberorum interest, ut eos ipsa enutriat. Matris quidem quae, nisi hoc faciat, nimia affluentis lactis copia graves sibi morbos accersit. Interest etiam liberorum, namque magnam habet partem in corporibus, animisque fingendis ingenium nutricis, et natura lactis.

2.^o Nihil parentibus debet esse antiquius, quam ut christianè instituantur ipsorum liberi. Eos ad supremi Numinis cognitionem, cultum, et amorem verbo, et exemplo informent: Tobiam imitantes, qui filium suum ab *infantia Deum timere docuit, et abstinere ab omni peccato* (Tob. 1. 10). Pietatis, aliarumque virtutum exempla ipsis proponant, sive ex profanis, sive praesertim ex sacris auctoribus deprompta. Hoc imprimis caveant Parentes, ne facta verbis dissentiant, pravisque suis moribus liberos ad imitationem pronos in vitia pertrahant.

3.^o Curent Parentes, ut liberi ab ignobili otio abducantur, et iis erudiantur disciplinis, vel artibus, quae cujusque indoli, et conditioni videntur congruere. Postquam autem eos Magistris edocendos commisserint, non ideo sese ab omni cura solutos existiment. Verum qui sint eorum progressus, quae agendi ratio, qui mores diligenter inquirent. Qua in re non leviter peccant multi Parentes, qui ubi suos liberos in Magistrorum curam tradiderunt, vel potius projecerunt, de ipsis nihil sunt solliciti, nihil de eorum studiis, nihil de moribus inquirent, imo illorum praeceptores, ne facie quidem ut plurimum, norunt.

De liberorum erga Parentes officiis.

Liberorum erga Parentes officia ad quatuor praecipua revocantur ; honorem scilicet , amorem , obedientiam , et auxilium.

1.^o Quidem Parentibus deberi honorem , et reverentiam , ita docet , et suggerit natura , ut in ea re consentiant cujuscumque nationis et religionis populi. Quod naturae praeceptum sic confirmat Deus : *honora patrem tuum et Matrem tuam* (Exod. 20. 12). Idem praecipitur his verbis : *qui timet Dominum , honorat Parentes , et quasi dominis serviet illis , qui se genuerunt.* (Eccl. 3. 8). Dei , cujus locum erga nos tenent , sunt imagines. Divinae potentiae instrumenta fuerunt ad vitam nobis impertiendam : divinae providentiae extitere quasi canales ad nos enutriendos. Quae igitur ipsis infertur injuria , eadem in ipsum Deum recidit. Idcirco veteri in lege capitali sententia damnatum voluit , qui parentibus esset contumeliosus. *Qui maledixerit patri suo , vel matri , morte moriatur.* (Exod. 21. 17.).

Duo postulant honor parentibus debitus : 1.^m ut eos consulant liberi in rebus alicujus momenti , in quibus ab eorum auctoritate pendent , ipsorumque consiliis acquiescant , nisi obtiterit lex divina : 2.^m ut parentum infirmitates patienter sustineant : aequissimum enim est , ut qui juvenilem nostram infirmitatem susceperint , eorum senilem imbecillitatem toleremus : *Fili , inquit Ecclesiasticus , suscipe senectam patris tui , et non contristes eum in vita illius , et si defecerit sensu veniam da et ne spernas eum in virtute tua.* (Cap. 3. v. 14 et 15).

2.^o Parentes suos amore tenerrimo complecti debent liberi : ingrati enim animi vitio graviter peccarent , nisi eos diligerent , quorum ministerio , et vitae usuram , et innumera beneficia à Deo acceperunt. Summopere igitur studendum est , ut parentibus nostra agendi ratio in omnibus placeat , ut sive pro bonis laetitiam , sive pro malis , quae ipsis accidunt , dolorem iis significemus. Sed in eo maxime elucere debet amor noster , ut parentum bono spirituali consulamus. Si enim de temporalibus dumtaxat ipsorum bonis solliciti sumus , eos Paganorum more , non vero ut Christianos decet , diligimus : idcirco nihil omittere debent liberi , ut Parentum saluti inserviant , sive exemplis , sive monitis , prout christiana suggererit prudentia.

3.^o Non satis est parentes honore et amore prosequi , ipsis praeterea obediendum est. Cujus obsequii illustre exemplum praebuit Christus Dominus , de quo sic narrat S. Lucas. *Erat subditus illis , parentibus* (Cap. 2. v. 51). Idem sic jubet

Apostolus Christi fidissimus interpres : *Fili , obedite parentibus vestris in Domino ; hoc enim justum est* (Ephes. 6. 1.) *Fili , obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est in Domino.* (Coloss. 3. 20). Haec autem parentibus obtemperandi lex non tantum quamdiu vivunt , sed etiam post ipsorum mortem obligat. Debent enim filii veré christiani ultimas parentum voluntates post eorum obitum religiose exequi.

4.^o Parentibus subministrandum , quidquid ad vitam sustentandam necessarium est , habita ratione status , et conditionis. Nihil quippe aequius est , quam iis partim saltem rependere , quae ab ipsis accepimus. Quidquid enim beneficii in parentes conferat filius , nunquam tantum dare poterit , quantum sibi ab ipsis collatum fuit.

De societate herili.

Dominorum erga famulos officia hic leviter attingemus:
1.^o Imperium domini in famulos nec durius sit, nec mollius. Non durius quidem imperare debent , sed meminisse illud Apostoli: *Vos domini , eadem facite illis , remittentes minas , scientes , quia et illorum , et vester Dominus est in caelis , et personarum acceptio non est apud Deum.* (Ephes. 6. 9).

2.^o Tenentur domini pactam cum famulis mercedem tempore constituto persolvere , nec longiorem facere hujus expectationem. *Quicumque , inquit filio suo Tobias , tibi aliquid operatus fuerit , statim ei mercedem restitue , et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* (Tob. 4. 15.) Operas suo pretio , et famulos sua mercede fraudare , tantum est peccatum , ut quasi homicidium á Scriptura reputetur. *Qui effundit sanguinem , et qui fraudem facit mercenario fratres sunt* (Ecl. 34. 27).

In praefatis officiis non agitur nisi de bonis temporalibus. Quod spectat ad spiritualia , tenentur domini famulorum saluti impensius consulere , nihilque omittere , ut eos á malo deterreant , ad bonumque excitent. Herus enim quisque , ut notat Augustinus , tanquam suae familiae Episcopum sese reputare debet , et ea , quâ Pastorem decet , sollicitudine suos domesticos ad Dei cultum impellere.

Debet ergo 1.^o curare ut officiis á Religione praescriptis accuraté fungantur , eosque exemplis excitare ; 2.^o summam adhibere diligentiam , ut Religionis Christianae dogmatibus , mysteriis , praeceptis erudiantur , sive eos cogendo publicis Parochiae exercitationibus interesse , sive operam dando , ut privatim edoceantur , sive libros subministrando , qui verae

solidaeque pietatis sensus , et documenta contineant : sed maxime cavendum , ne pravos lectitent libros , qui eos ad turpia sollicitent.

3.^o Non permittat herus , ut famuli otio diffluant ; sed eos jubeat vel in opus aliquod manuale , vel in lectionem , vel in scriptionem impendere , quidquid temporis , expleto servitio , supererit : sic quippe innumeris occurrentur malis : *Multam enim malitiam docuit otiositas* (Eccl. 33. 29).

ARTICULUS 2.^s DE SOCIETATE CIVILI.

Societas civilis definiri potest hominum multitudo , qui sub eodem regimine publico consociantur , securitatis , felicitatisque comparandae gratia. Varias autem sunt civilis regiminis formae , quae ad tres generales revocari possunt : aliud quippe est *Monarchicum* : aliud *aristocraticum* , et aliud *democraticum*.

Regimem *monarchicum* illud est , in quo summum imperium in uno residet , sive in quo unus imperat Princeps , qui dicitur *Monarcha* , ut in Gallia , et Hispania. *Aristocraticum* appellatur illud , in quo imperant Optimates , seu Nobiles simul plures , ut fit apud Venetos. Tandem *Democraticum* appellatur illud , quod à Populo administratur , sive in quo Respublica à Consilio regitur , in quo quilibet à Populo jus habet suffragii , ut apud Helvetios.

Quaeres. Quanam sint praecipua Magistratum , et Judicum officia , et dotes.

Resp. 1.^o Debent ex legum praescripto judicare ; eas igitur noverit Judex , necesse est , illarumque mentem perscrutetur , ut ab iis in omni judicio non deflectat.

2.^o Lucro et avaritiae non serviat. Praecipua enim judicum dos est integritas , quae nec corrumpi , nec labefactari possit : atqui Judex lucrum inhians , et avaritiae studens , intemeratam in dicendo jure integritatem non retinebit : munus enim illecebris captus , litigantis , qui plus obtulerit , jus magis certum esse sibi facile persuadebit. Hinc illud Deuteronomii : *Non accipies personam , nec munera , quia munera excæcant oculos sapientum.* (Cap. 16. v. 19).

3.^o Judici summa opus est constantia , invictoque animi robore. Ita enim comparatus esse debet , ut nec odii , nec amoris affectibus , nec vindictae desiderio , nec potentum precibus aut minis , nec mortis ipsius formidine ab officio deterreatur. ; Ad illud vero quanta requiritur fortitudo ! unde sic monet Ecclesiasticus : *Noli quærere fieri Judex , nisi valeas virtute irrumperere iniquitates : ne forte extimescas faciem poten-*

is ; noli esse pusillanimis in animo tuo. (Cap. 7. v. 6. et 9). Praeterea necesse est , ut Judex studiis plerumque jejunis , in-gratis , et difficilibus vacet : ut obscura et ambigua partium jura diligenter excutiat : ut vix alienis , qui saepe fallunt , et falluntur oculis credat : ; Tot vero labores , quo pacto sustinere poterit , nisi maxima animi firmitate polleat?

4.º In judicio sola causa seu res , de qua disceptatur specta-nda est , nulla habita ratione personae status sive sit pauper , sive potens. Ita praecipit Deus. *Non facies , quod iniquum est , nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis , nec honores vultum potentis ; juste judica proximo tuo.* (Lev. 19. 15). Audiendi sunt igitur litigantes , qualescumque fuerint , no-biles , vel plebei , divites , aut pauperes , urbani , vel rustici ; ponderanda , quae utrinque allegantur : nec enim quempiam inauditum condemnari patitur ratio.

DISSERTATIO 3.^a

De comercio , et contractibus.

Ad communem societatis civilis felicitatem requiritur , ut non desint res necessariae , atque etiam utiles , si fieri posset , habeantur. Quare cum non omnis ferat omnia tellus : hinc segetes , illinc veniant felicius uvae , inter homines institui debet commercium , quod nihil aliud est , quàm rerum superfluarum cum necessariis , vel utilibus permutatio. Res autem vel soli naturae debentur , vel naturae , et industriae simul , aut tandem soli industriae acceptae referuntur ; ad primam rerum classem pertinent eâ omnia , quae suapte natura fert tellus sine hominum labore. At si eâ , quae tellus suppeditat , industria et labore excolamus , haec pertinent ad agriculturam ; si autem eâ labore , atque industria perficiantur ; ita ut formam mutant , et in alios usus trahantur ; haec ad manufacta pertinent. Si tandem industria suis propriis viribus , soloque naturae studio ipsius naturae opera in aliquem usum convertat , haec artes liberales appellantur.

Innumerae fere sunt industriae species , sed hae ad duo genera , nempe manufacta et artes liberales revocantur. Mutua hominum inter se communicatio trajiciendi maris necessitatem induxit ; atque ex hac necessitate orta est industriae species , quae ars nautica vocatur. Maria autem et flumina piscium copiam suppeditant , atque hinc alia commercii species. Aurum atque argentum , velut mercium pretia , atque etiam velut merces mutuo consensu instituerunt homines : hoc ultimum auri

et argenti commercium *cambium* dicitur. Tandem populorum quorundam intelligentia , et dexteritate factum est , ut comparata fuerint dominia in aliis regionibus earum rerum , quae in propria sibi decrant , feracissimis : in has regiones missi fuere homines satis magno numero , qui eâ excolerent , quae regiones illae subministrant , eaque consumerent ; tales acquisitiones coloniae fuerunt appellatae.

Itaque hae septem sunt praecipuae commercii partes : *agricultura* , *manufactura* , *artes liberales* , *piscandi industria* , *navigatio* , *cambium* , *et colonia*. Duplici ratione in societate politica considerari potest commercium ; quatenus nempe est rerum, quas vel patria ipsa vel coloniae ferunt , domestica atque interna communicatio , rerum superficialium in alias regiones exportatio , rerum autem externarum in propriam regionem advectio , ut vel in ipso loco consumantur , vel in alias regiones exportentur. En primam considerandi commercii rationem. Considerari etiam potest commercium , quatenus est in societate politica civis alicujus occupatio atque conditio ; illudque consistit in permutatione , emptione , venditione , proposito lucri fine.

Hominum improbitas , ac mala fides primam , ut legibus, ita pactis , quae sunt quasi privatae leges , originem dedisse videtur ; nam inter viros honestos , justitiae amantes , reciproce , et sincerè amicos , nullus nec legibus civilibus , nec pactis locus est. Hinc praeclare observavit Aristoteles in locum amicitiae civilem justitiam successisse.

CONTRACTUS definiri potest : *actus externus inter duos aut plures , mutuo consensu ex utraque , vel saltem ex alterutra parte obligationem pariens*. Dicitur autem *ex utraque vel saltem ex alterutra parte* quia contractus dividitur 1.^o in *perfectum et imperfectum*. *Perfectus* ille est , qui ex utraque parte obligationem inducit ut venditio ; *imperfectus* is dicitur qui alterutri tantum contrahenti obligationem imponit , quales sunt promissio , donatio &c.

Dividitur 2.^o in *explicitum seu formalem* , *et implicitum seu virtualem*. *Explicitus* ille est quo duo vel plures aliquid expressè paciscuntur. *Implicitus* autem is vocatur qui fit tacita partium conventionem. Sic Judex , Medicus , Tutor , quando haec munia suscipiunt , eo ipso implicitè spondent se operam omnem et curam praestituros , quam adhibere solent ejusdem conditionis homines , erga eos in quorum gratiam haec officia exercent ; isti vicissim tacitè sese obligare censentur ad tribuendam legitimam mercedem. Ista conventiones tacitae dicuntur *quasi contractus* , et vim habent ex justitia obligandi, non secus ac ipsi contractus.

3.^o Contractus alius est *gratuitus* in quo aliquid accipitur,

et nihil rependitur , ut donatio , alius *onerosus* , in quo utri- que aliquid datur et redditur , qualis est emptio. Caeteras , ut minus utiles omittimus contractuum divisiones. Contractus illi soli validé contrahere possunt , qui liberam habent bonorum suorum administrationem , nisi á jure impediuntur , quia ii soli bonorum suorum dominium in alios transferre possunt. Ut valeat contractus requiritur consensus exteriori aliquo signo expressus : per contractum enim , quod nostrum erat in alios transfertur : atqui id fieri non potest sine consensu qui fuerit aliquo exteriori signo declaratus , ut satis patet.

Dolus aut error versari potest , vel circa rei substantiam , ut si aurichalcum emas , putans eum esse aurum , vel circa accidentia , ut si equus debilis et infirmus ematur pro strenuo et robusto : error veró aut dolus circa accidentia , dicitur aliquando dare causam contractui , cum scilicét non fieret si error cognosceretur ; aliquando dicitur tantummódó incidens in contractum , cum nempe contrahens ab eo non abstineret , etiam sublatis errore et dolo ; sed tantum contraheret minus libenter.

Duplex est *metus* , *gravis* nempé et *levis*. *Gravis* ille est quo , reformidatur grande aliquod malum , qualia sunt mors , exilium , diuturnus carcer , bonorum omnium jactura. *Metus levis* ille est , quo timetur malum vel leve vel grande quidem , sed cujus , verisimile non est periculum. *Metus* autem vel justé incutitur , vel injusté , ut cum sicarius alicui mortem intentat , nisi velit crumenam ipsi tradere.

Quaeres an obligent contractus quibus desunt formulæ á legibus positivis constitutæ? Notandum ; Contractuum formulae sunt quaedam conditiones , quae ex legum praescripto in contractibus adhibendae sunt , ut v. g. contractus coram Notario conficiantur , ut certus intersit testium numerus : quod summa cum sapientia á legibus humanis constitutum fuit , ut scilicét fraudibus et dolis , quantum fieri potest , occurreretur.

Ex his autem formulis aliae sunt *accidentales* , quibus scilicet praetermissis , contractus non fit invalidus , quales sunt in Matrimonio bannorum proclamationes ; aliae sunt *essentiales* , quae nimirum á lege ita praecipuntur , ut si omissae fuerint , irritus fiat contractus ; talis est praesentia Parochi et testium respectu Matrimonii. Fatentur omnes accidentalis formulae omissionem non obviare quominus valeat contractus , quamvis prohibeat lex ne sine tali conditione fiat. Aliud est enim prohibere actum , aliud eum declarare irritum. Quando lex vetat actum , impedit ne licité fiat , cum vero eum denuntiat irritum ; impedit ne omninó fiat , auferendo scilicet ita contrahendi facultatem.

DONATIO est rei alicujus gratuita concessio , quæ ex sola liberalitate fiat. Dividitur in donationem inter vivos , qua sic donat aliquis alteri , ut in eum velit , se vivente , rei datae dominium transferre ; et in donationem mortis causa, si nempé donans velit rem suam non nisi post suum obitum, esse donatarii.

Quæres ; quaenam requirantur conditiones ut valeat donatio inter vivos?

Resp. Tres requiruntur : prima est , ut qui donat ad illud jure sit habilis. Cujus conditionis defectu jure communi, non validæ sunt donationes gratuitæ conjugum inter se ; à jure itá constitutum fuit , ne conjuges mutuo amore ducti , sese bonis spoliarent , vel ne inter eos nascerentur dissidia , si uxor et maritus sibi invicem dare recusarent. Propter ejusdem conditionis defectum , validé dare nequeunt , qui à natura muti , simul et surdi sunt , ita ut neque scripto , neque voce, voluntatem suam certó exprimere possint ; item , nec furiosi, nec prodigi , quibus bonorum administratio à judice interdicta est , nec filiifamilias sine consensu patris , nisi tamen habeant bona castrensia , vel quasi castrensia ; nec Religiosi professi ob panperatis votum.

Secunda conditio est , ut ii quibus donatur ex jure idonei sint ad recipiendum : hujus conditionis defectu non valent donationes iis factæ , qui in dantem plurimú habent auctoritatis. Hinc nullæ sunt donationes : 1.º pupillorum , aut minorum erga tutores , curatores eorumque uxores , nisi jam rationes suas rediderint. 2.º Novitiorum in gratiam sive domus in qua commorantur , sive aliarum ejusdem ordinis in quo Religionem sunt professuri. Ratio est , quod hujusmodi donationes non judicentur cum integra libertate fieri , sed minis, metu , astutia , dolo extorqueri.

Propter eamdem nimii in donatoris animum imperii suspicionem , à jure cautum est , ne Confesariis , Medicis , Chirurgis. Advocatis , donationes ab iis fierent , quorum negotia gerunt, nisi tamen iis quidpiam datum fuerit propter vel accepti beneficii memoriam , vel consanguinitatem , vel antiquam necessitudinem.

Tertia conditio est , ut donatio nonnullis vestiatur formulis : 1.º *Acceptatio* quia , ut habet regula juris *invito beneficium non datur*. Minores sine curatorum consensu valide non acceptant , sicut nec uxores absque mariti auctoritate.

2.º *Traditio* , quæ duplex est ; *realis* cum donator rei dominium directum , et utile in alium absoluté transfert : *ficta* vero , ubi donator ita rei suæ proprietatem in alium transmittit , ut ejus usumfructum sibi retineat.

3.^o *Necessaria est insinuatio*, qua nempe donationes in acta publica referuntur, quia eas ignotas, et occultas non esse omnium interest, praesertim creditorum quibus damnum posset ex illis donationibus contingere; summae tamen pecuniariae donatio de manu ad manum facta, valet absque insinuatione, modo persona sit ad recipiendum habilis.

Quaeres 2.^o an donatio inter vivos acceptata revocari possit.

Resp. Revocari non potest donatio inter vivos semel rite facta; ob aequitatem tamen revocatio datur, primó ob insignem ingratitude donatarii, veluti, si ab eo verbera, insidias, damnum, injuriam passus sit donator, quo casu iste, non ejus haeres jus revocandi habet, quod personale est. Secundo, ob supervenientiam liberorum donantis; quia praesumitur, quod non donasset, si cogitasset, se filios habiturum: 3.^o si sit in praejudicium legitimae filiorum. Unde si Pater donat alicui ex illis ultra legitimam, inofficiosa reputatur donatio, et intelligitur ei facta melioratio in tertio, et quinto, quae melioratio censenda est, habito respectu ad bona patris tempore mortis, nec dari potest plus, quam unum quintum.

ULTIMAE VOLUNTATIS nomine intelligitur *actus quo legitime statuit aliquis, quid de rebus suis post mortem suam fieri velit*; multiplex distinguitur, nempe *testamentum, codicillus, legatum, et fideicommissum*.

TESTAMENTUM est voluntatis nostrae justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit: dividitur 1.^o in *solemne*, ubi nimirum servantur omnes conditiones á legibus praescriptae; et in *privilegiatum*, quod valet, licet defuerint quaedam ex illis formulis, quale est testamentum militis: 2.^o in *clausum vel in scriptis, et nuncupativum* sive apertum. Dicitur *testamentum scriptum* sive *in scriptis*, quando testator, vel alius pro eo scribit suam voluntatem in aliqua charta, quam clausam, et sigillatam ostendit septem testibus coram tabellione, dicens illud esse suum testamentum; testes, et testator subscribere debent super scripturam testamenti; si autem aliqui eorum, aut testator scribere nesciant, aut non possint, alii pro aliis subscribant, ita ut sint octo subscriptiones, et signum tabellionis, seu notarii, et aliter facta testamenta *in scriptis* nullam fidem faciunt in judicio nec extra.

TESTAMENTUM NUNCUPATIVUM est, quando testator coram testibus declarat suam voluntatem, et de jure communi requiritur in illo eadem solemnitas, et numerus testium, quae in scripto: nunc autem si fiat sine tabellione coram testibus, requiruntur quinque vicini illius loci, ubi fit testamentum, et si ibi copia hominum non fuerit, sufficiunt tres vicini; si autem fit cum tabellione in scriptura publica, indistincte suffi-

ciunt tres testes vicini ; et si fiat coram septem testibus , valet , licet vicini non sint , nec adsit tabellio , nec haeres instituat. Testes qui testamento adsunt , debent esse masculi , puberes , liberi , non infames.

Testamenti solemnitates , vel *internæ* sunt vel *externæ*: interna est idonei haereditis legitima institutio , externae plures sunt : possunt esse haeredes quicumque jure non sunt prohibiti , quales sunt apostatae , filii incestuosi clericorum , filii illegitimi , stantibus legitimis , aut ascendentibus patris , qui solum possunt matrum esse haeredes , licet istae ascendentes habeant , si illi non sint ex damnato , ac punibili coitu , &c.

CODICILLUS , seu *parvus codex* , est *ultima voluntatis testificatio minus solemnis* , quæ testamento ex aliqua parte explicat aut immutat , quidpiam addendo vel demendo. Dicitur *minus solemnis* , quia ad codicillum pauciora requiruntur quam ad testamentum : sufficiunt enim jure communi quinque testes.

LEGATUM est *ultima voluntatis dispositio* , quâ testator speciale donum ab hæreditate selectum , alicui relinquit. Aliquando accipitur pro ipsa re quae dono relinquitur. Legatum verè non debetur , nisi deducto aere alieno. Quamobrem si bona haereditatis solvendis tantum debitis sufficiant , nihil consequetur legatarius.

FIDEICOMMISSUM est *ultima voluntatis dispositio qua testator haereditis fidei committit aliquid alteri tradendum*. Quando testator summam pecuniariam , vel rem aliam amico relinquit , cum pacto tacito eam deferendi personae cui dare non permittunt leges , id vocatur *fideicommissum tacitum* , quod justis de causis prorsus vetitum est , hujusmodi ergo fideicommissa fieri non possunt , vel accipi sine peccato ; accepta vero legitimis haeredibus sunt restituenda.

MANDATUM , est *contractus consensualis* , quo negotium honestum ab alio ex fiducia commissum , gratis administrandum , gerendumque suscipitur : mandatur aut *expresse* verbis , litterisque , nulli certae formulae adstrictis , aut *tacite* siquis praesens ab altero negotia sua geri patitur : prout quoque vel ad omnia bona , vel ad certas tantum res mandatum pertinet , dicitur vel *generale* , vel *speciale* : A modo constituendi mandatum , dividitur in *judiciale* , et *extrajudiciale* , itemque in *purum* , in *diem dilatum* , et *conditionale*. Differunt porrò mandatum in *rem alienam* , quando quis et nomine alterius , et in *alienam utilitatem* agit , et in *rem suam* , quando quis nomine alterius , sed in suam utilitatem agit.

Caeterùm ex ipsa definitione inferitur 1.º mandatum contrahi solo utriusque consensu , pro quo et ratihabitio habetur. 2.º mandari non posse rem *illicitam* , nec ullam ex hujusmodi

mandato inter contrahentes nasci obligationem. 3.^o mandatum non admittere mercedem, sed honorarium. 4.^o mandatarius fines mandati excedentem nihil agere, nec mandantem tunc ex mandatarii facto teneri. Et quia mandans fiduciam singularem in mandatarii persona collocat; consequens est, ut mandatarius substituere ordinarie non possit; si tamen substituerit, et rem per alium aequé bené gesserit, mandans ex gestis obligetur: ut, quia mandatarius sponté obligationem, in qua summa industria exigitur, suscepit, ordinarié tenetur ad culpam levissimam: ut mandatarius, qui amici spem turpiter destituit, ob dolum, vel culpam latam, meritó infamia notetur. Finitur mandatum 1.^o mutuo dissensu, 2.^o mandantis revocatione, modo fiat re integra: 3.^o renuntiatione non intempestiva mandatarii: 4.^o morte contrahentium.

DEPOSITUM est contractus, quo res custodienda committitur alteri, ab eoque suscipitur ut reddatur eadem, non tantum specie, sed etiam numero, saltem ut plurimum. Triplex depositum est, primum, quando quis voluntarié rem suam deponit apud amicum, quod vocatur *depositum simplex*, non tamen deponi ita possunt res furto ablatae. Secundum, quando deponit, urgente necessitate ut res liberetur à naufragio, incendio, ruina &c. quod vocatur *depositum miserabile*. Tertium, quando res deponitur propter litem quod, vocatur *sequestrium*. Depositarius rem sibi creditam ea cura servare debet quam in simili re sua adhibere solent viri diligentes. Re deposita uti non potest, sine expresso vel tacito domini consensu, quia usus rei non fuit ipsi concessus, sed tantum custodia.

COMMODATUM est contractus quo res ad solum usum gratuitó conceditur, usque ad tempus praestitutum. Differt autem 1.^o à locatione in qua pro rei usu exigitur pretium. 2.^o à mutuo in quo non usus tantum, sed et rei dominium in aliquem transfertur. 3.^o à deposito in quo ne usus quidem conceditur. 4.^o à praecario, quod revocari potest ad nutum concedentis; commodatum veró repeti nequit ante tempus de quo conventum fuit. Quapropter si quis ante praefixum tempus rem *commodatam* ad se sine justa causa revocet, tenebitur rependere quidquid damni inde expertus fuerit *commodatarius*. Si tamen simile damnum *commodanti* immineret ex rei suae privatione, tunc eam repetere posset, quia sub ea tantum conditione censeretur gratuitum rei suae usum concessisse. Debet *commodans* rei vitium, si periculosum sit, manifestare; alioqui damnum quod inde contigerit resarcire tenebitur. Ea sunt autem *commodatarii* officia: 1.^o ut rem commodatam non nisi ad usum sibi concessum conferat: eam quipé in alium usum adhibendi jus non habet; 2.^o ut rem ea cura servet, quam rebus suis

similibus impendere solent homines diligentissimi ; 3.^o ut rem tempore constituto restituat , etiamsi non repeteretur ; 4.^o ut impensas modicas ad rem conservandam necessarias faciat , ut v. g. equum sibi commodatum nutriat ; non autem extraordinarias ; non teneretur , v. g. sumptus facere ad curandum equum si gravi morbo citra ejus culpam laboraret.

Hactenus de contractibus gratuitis ; nunc de onerosis dicendum est.

CAMBIUM est contractus , quo contrahentes sibi invicem dant aliquid ejusdem pretii ; excepta pecunia , quia tunc erit species ventilationis. Hic contractus confundi minimé debet donatione reciproca , qua nullo modo necesse est , ut quisque det aliquid ejusdem valoris , ac accepti.

EMPTIO ET VENDITIO est contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda. Ad substantiam hujus contractus pertinent 1.^o : consensus : 2.^o res vel merx , de qua consentitur : 3.^o Pretium , in quod uterque consentit. Cum itaque consensu hic contractus capiat substantiam : perfecta erit emptio venditio , simul ac de pretio rei conventum : nisi inter contrahentes convenerit , ut emptio in scripto celebretur. Tunc enim non nisi omnibus partibus absoluta scriptura , perfectus habetur contractus.

Ex quo porro consequitur : ut antequam vel consensu vel scriptura perfecta sit emptio venditio , poenitentiae locus sit , si emptor poenitens id , quod arrhae nomine dedit , perdere ; venditor autem recessurus duplum ejusdem restituere velit. Ut perfecta emptione venditione poenitentiae nulla sit facultas , etiamsi quis arraharum damnum pati , et vel quod interest , vel duplum pretium venditori praestare paratus sit.

Ex eodem axiomate infertur : ad emendum vendendumque , nisi urgente aequitate , vel utilitate publicâ , neminem cogi posse. Et emptionem venditionem vimetunque exortam merito ratam non haberi. Ex eadem ratione et dolus , qui causam emptioni venditioni dedit , eam reddit nullam , non vero incidens , quippe qui consensum non impedivit , et hinc tantum parit actionem ex empto ad id quod interest , vel exceptionem doli. Denique et error consensui eatenus impedimento est , ut si in contractu , vel in re , seu corpore , ejusve materiâ universâ , vel maximâ ejus parte , vel in personâ erratum sit , res inempta , et contractus nullus sit : non si error circa minimam partem materiae , nomenve proprium , vel qualitatem rei , vel circa accessiones commissus.

Accedere oportet rem , de qua tradenda contrahatur. Quales res sunt 1.^o omnes , quae sunt in commercio , etiam spes , veluti jactus retis : res futurae : res incorporales , ut haere-

ditas , et actiones ; immo et res alienae. Non vero venire possunt , 2.^o res extinctae : 3.^o liberi homines : 4.^o res divini juris : 5.^o publicae : 6.^o merces pestiferae , et noxiae : 7.^o res furtivae : 8.^o litigiosae.

Denique et contrahentes consentire debent in idem pretium. Pretium autem in pecunia numerata consistit. Ex quo inferitur: 1.^o si alia res pro re detur , non esse emptionem venditionem , sed permutationem : 2.^o si partim res , partim pretium detur , à majore parte ejus , quod datum , contractum , vel emptionem vel permutationem dici 3.^o Si ex aequalibus partibus res et pecunia numerata data , dispiciendum esse , quid ab initio actum sit : ita tamen ut major pro emptione venditione , tanquam frequentiore hodie contractu sit praesumptio ; quamvis dissentiat.

Caeterum idem pretium 1.^o *Verum* esse oportet , unde quod dicis causa datur , non facit emptionem venditionem: veluti si uno nummo emptum ; aliud si minoris venditum donationis causa. 2.^o *Iustum* ; unde ob laessionem enormem rescinditur. 3.^o *Certum* , vel per se , vel per relationem ad aliam quantitatem. Unde et in arbitrium tertiae certae personae conferri potest , quae si pretium definiverit , ejus arbitrio standum est. Si non definierit , emptio venditio irrita est.

Caeterum emptor tenetur ad pretium solvendum , venditor ad traditionem. Unde sequitur : 1.^o ut pretio nondum soluto , vel satisfactione alio modo non praestita , ne traditione quidem res fiat accipientis , nisi fidem emptoris secutus sit venditor : 2.^o ut pretio non oblato , nec agere emptor ad traditionem possit. 3.^o Ut nec venditor rectè agat ad consequendum pretium , si illi obstet exceptio rei venditae , non traditae. 4.^o Ut par sit ex hoc contractu utriusque commodum , et incommodum , et hinc alter alteri teneatur etiam ad culpam levem.

Casum alias sentit dominus. Sed in emptione venditione , quamvis ante traditionem dominus sit venditor , periculum tamen , et commodum rei venditae perfecto contractu ad emptorem transit : nisi 1.^o vel venditoris dolus culpavé , saltem levis , praecesserit : vel 2.^o venditor in se casum susceperit: vel 3.^o res ex antiquo vitio perierit : vel 4.^o venditae sint res ad pondus , numerum , mensuram , quarum periculum non transit , nisi postquam res adpensae , adnumeratae , admensaeve sunt : vel denique 5.^o res ad gustum vendita nondum degustata perierit.

LOCATIO ET CONDUCTIO sunt unus et idem contractus , quo usus , vel fructus rei , aut personae ad certum tempus pacto pretio conceditur alteri à quo accipitur. Contractus ille ex parte

dantis locatio , ex parte accipientis *conductio* appellatur ; sua sunt utrique officia.

Quaeres 1.^o Quaenam sint locatoris officia.

Resp. 1.^o occultum rei locatae vitium declarare debet, ut quando ruinosus est domus , vel equus onera excutere et abjicere consuevit : quod si vitium sibi cognitum celaverit , tenetur compensare damnum inde consecutum : 2.^o debet sumptus necessarios , in re conductâ factos solvere , nisi aliter conventum fuerit : 3.^o rem locatam ante constitutum tempus repetere non potest sine justa causa , quales sunt domus reficiendae necessitas , pravi conductoris mores , solutionis defectus, item si domo sua verè indigeat : 4.^o rem suam nimio pretio locare non debet ; alioqui restituere teneretur : justum vero pretium aestimandum est ex consuetudine in hoc vel illo loco à viris probis servata : 5.^o non debet ei rem suam locare, quem eâ praevidet abusurum : v. g. domum meretricibus , vel ad ludos alearum , quia non licet peccandi occasionem , et facilitatem alteri praebere ; 6.^o tenetur locator pensionem remittere , vel minuere , cum propter fortuitum casum v. g. incursionem hostium , sterilitatem &c. vel nullum , vel penè nullum fructum ex re locatâ percepit conductor ; duo tamen casus excipiuntur , nempe si praecedentis , vel subsequenteris anni ubertate valeat compensari sterilitas , vel si conductor sese obligaverit , ad solvendam , quicumque fuerit eventus , pensionem integram , quae propter illud onus minor esse debet.

Quaeres 2.^o Quaenam sint onera conductori imposita.

Resp. 1.^o Rem locatam in eum duntaxat usum adhibere potest , ad quem concessa fuit : alioqui usurparet rei alienae usum , invito domino. 2.^o Non debet rem conductam ante constitutum tempus dimittere : aliter integram pensionem solvere teneretur , si non posset simili pretio locari : 3.^o Elapso tempore praefixo , res eadem numero , et integra restituenda est, nisi aliter sit conventum , vel nisi fortuito casu , et citra ipsius culpam , perierit : quod si res conductoris culpâ vel pereat, vel deterior fiat , omne damnum ab eo resarciendum est. Denique debet pensionem tempore praestituto solvere , nisi legitimâ excusetur causâ.

MUTUUM est contractus quo res usu consumptibilis gratis transfertur in alterius dominium , cum obligatione aliam ejusdem speciei et bonitatis restituendi post aliquod temporis spatium.

1.^o Dicitur , quo res usu consumptibilis , quia mutuum propriè circa ea versatur , quorum usus adjunctam habet consumptionem : haec autem duplex distinguitur ; alia nimirum *physica* , ut in usu panis , vini , &c. alia *moralis* , quae in alienatione consistit , ut in usu pecuniae quae licet non pereat *physicè* , dicitur *moraliter* consumi , quia aequè desinit esse alienantis , ac si in rerum natura non esset.

2.^o Dicitur , *in alterius dominium transfertur* , quia accipiens ita fit rei mutuatae dominus , ut sibi pereat , vel crescat , notionem hanc exhibet ipsum mutui nomen. *Inde mutuum appellatur* , inquit Justinianus , *quia ita à me tibi datur, ut ex meo fiat tuum.* (*Lib. 3. instit. tit. 15. sect. 1*) Unde fit ut , sive res pereat , sive crescat , jactura vel lucrum sit accipientis. *Qui mutuum accepit , si quolibet fortuito casu amiserit quod accepit , velut incendio , ruinâ , naufragio , aut latronum hostiumve incursu , nihilominus obligatus remanet.* (*Ibid. sect. 2.*) Hinc patet accipientem verum esse rei mutuae dominum ; siquidem ex axiomate , *res perit domino : res fructificat domino.* In eo mutuum differt à commodato , deposito et locato in quibus non transfertur dominium.

3.^o Dicitur , *gratis transfertur* , quia mutuum est humanitatis et beneficentiae officium mere gratuitum , et ab hominibus natura duce institutum , ut sese mutuis adjuvarent auxiliis. Contractus mutui eo ipso perfectus est , quod accipiens sese promissione obstringat ad rem ejusdem speciei et bonitatis restituendam tempore constituto ; ut quid igitur aliud oneris mutuans ipsi imponeret ? ad mutui naturam pertinere ut sit gratuitum , apertè declaratur jure civili : *De substantia mutui est , ut sit gratuitum.* Idem significant haec Christi verba : *Mutuum date , nihil inde sperantes.* (*Luc. 6 35.*)

4.^o Dicitur , *cum obligatione reddendi aliam ejusdem speciei et bonitatis* : si enim traditio fiat sine obligatione reddendi , non erit mutuum , sed donatio : si reddenda esset rei alterius speciei , *v. g.* frumentum pro vino , aut vinum pro pecunia , tunc foret permutatio vel emptio : si res quae redditur non fuerit ejusdem bonitatis , non servabitur aequalitas.

5.^o Dicitur , *post aliquod temporis spatium* : si enim res mutua statim reddenda esset , mutuum prorsus inutile foret accipienti ; ad naturam ergo mutui pertinet ut res tradita non statim repetatur ; sed non nisi post lapsum temporis de quo conventum fuit.

SOCIETAS est ; duorum vel plurium conventio aliquid contribuendi ad commune lucrum et damnum , pro ratione rerum collatarum Ad justam societatem requiruntur quator conditiones ; prima ut negotiatio propter quam inita est societas , sit licita : alioqui societas nulla esset ac irrita ; secunda , ut pecunia verè ad negotiationem aliquam adhibeatur : si enim pecuniam conferens noverit nullam securam negotiationem non erit societas sed mutuum ficto societatis titulo dissimulatum ; ex eo proinde non posset citra usuram palliatam , lucrum praeter sortem exigere ; tertia , ut lucrum vel damnum é societate proveniens , sociis commune sit pro rata parte quam quisque in societatem contulit : alioquin violaretur aequalitas ; quarta tandem conditio est , ut pecuniam conferens illius periculum

in se recipiat et jacturam , si pereat : hoc enim periculum solus est titulus legitimus , propter quem pecuniam contribuens, aliquam lucri partem sibi vindicare possit,

FIDEJUSSIO est; Contractus quo in se recipit aliquis obligationem solvendi debitum alterius , si ille non solverit.

CAUTIONIS nomine intelligimus contractum , quo scilicet rei alienæ periculum in se recipit aliquis , ad eam si pereat compensandum , vel gratis vel pacto pretio sese obligans

Licitus est hic contractus , quia uterque contrahens lucri et damni aleam aequaliter tentat.

PIGNUS est contractus quo debitor rem aliquam mobilem tradit creditori , qui inde solutionem habiturus est , si alter non solverit.

HYPOTHECA vero est contractus quo debitor rem aliquam immobilem creditori obligat , qui inde poterit solutionem deducere.

Quaedam sunt pignus et hypothecam dantis officia : primum est , ut rem eandem pluribus in hypothecam non tradat , nisi solvendis omnibus debitis sufficiat : alioqui creditores deciperit debitor ; secundum ut creditori restituat impensas quas iste in conservando pignore posuit ; quod nisi praestaret , ex pignore deterior fieret creditoris conditio ; tertium , ut rem cui annexa est hypotheca non prius vendat , quam emptorem praemonuerit : ille enim deciperetur si rem emeret quasi liberam, cui tamen , onus esset illigatum.

Suae sunt , pignus etiam accipienti leges : prima est , ut diligentem adhibeat curam in servando pignore , quod tenetur restituere si culpa sua pereat ; secunda , ut pignore non utatur , quia non ad usum , verum in debitoris securitatem datum fuit ; tertia ut soluto debito statim pignus restituat , nisi solutionem longius et diutius protrahat et differat debitor , eoque prius monito : quod si pignus pluris vendiderit quam sibi debitum sit , tenetur quod excedit debitori restituere.

LUDUS est , contractus hominum sese oblectantium et dependentium aliquid victori cessurum. Nullus ludus per se , et spectato solo jure naturali , illicitus est : sicut enim potest unusquisque rem suam alteri simpliciter et absolute dare , sic eam potest in alium transferre sub conditione licita , videlicet si ludendo victor extiterit.

SPONSIO definitur ; contractum esse quo duo vel plures de veritate , aut eventu rei cujuscumque contententes , sibi invicem aliquid spondent , ut ejus sit qui veritatem assecutus fuerit.

DISSERTATIO 4.^a DE HOMINIS ERGA DEUM OFFICIIS

Omnium quibus erga Deum obstringuntur homines officiorum complexio , dicitur Religio , quae eum omnem cultum continet , quo ipsi placeamus vitamque aeternam consequamur.

Deistae quidam , ut jam monuimus , Deum sibi impié fingentes , cui res humanae nullo modo curae sint , eum contendunt nullum ab hominibus cultum exigere , sive interiorem , sive exteriorem ; contra quos sit.

Propositio 1.^a Deo cultus internus debetur.

Prob. Deo cultus ille debetur , quem ipsi vindicat ratio naturalis : atqui Deo cultum internum asserit ratio naturalis ; hic enim situs est in amore , adoratione , reverentia , obedientia , et grati animi sensibus : atqui hujusmodi officia erga Deum imperat ratio naturalis , quisquis enim eam vel leviter consuluerit , is facile deprehendet se teneri eum super omnia diligere , qui in supremo gradu est amabilis , omnesque perfectiones in se complectitur ; eum adorare , cujus suprema est majestas ; eum revereri , cujus potentia nullis circumscribitur limitibus ; eum colere obedientiâ , qui summum in omnes creaturas habet dominium ; eum denique grato animo prosequi , ex cujus liberalitate et munificentia accepit quidquid habet : atqui Deus his omnibus titulis gaudet ; ergo ratio naturalis , amoris , adorationis , reverentiae , obedientiae gratique animi sensus et officia erga Deum praescribit ; ergo &c.

Obj. Deus nullum ab homine cultum interiorem exigit ; ergo nullus ipsi debetur. Resp. Neg. ant. Deus enim non potest non exigere , quod jubet summus et immutabilis ordo : alioqui voluntas divina non esset perfectissima : atqui praecipit summus et immutabilis ordo , ut internum Deo cultum rependamus. Cum enim omnium sit causa et principium , jubet immutabilis ordo , in eo solo finem omnium ultimum esse constituendum : atqui non potest esse omnium finis ultimus , quin homines seipsos ad Deum referre teneantur , eum interius colendo.

Prop. 2.^a Necessarius est cultus divinitatis externus.

Prob. Cultus externus ille est , qui corporis ministerio exercetur , quo suos erga Deum pietatis et Religionis sensus homo manifestat : atqui hujusmodi cultus est necessarius. A cultu enim interiori quem Deo debitum esse demonstravimus , non potest non fluere. Cultus enim internus in amore praesertim situs est : atqui homines á natura ita comparati sunt , ut aliquem diligere non possint , quin amor ille in signa quaedam externa prosiliat ; á laudibus , donis , aliisque testimoniis sese temperare non potest. Impossibile igitur est , ut Deum sincero diligamus affectu , quin vividi divinae caritatis sensus nonnullis exterioribus signis sese prodant.



Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: Dec. 2004

PreservationTechnologies

A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION

111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS



0 013 543 953 8

